

68
8 D
6

5-13-Y.3-

653823

Foxo

Tesauro

Miguel Tenreiro

653015

MICHAELIS THOMAE TAXAQVETII HISPANI ORATIONES

DVAE CIVILES: VNA DE TOTA IVRIS ratione; altera de ratione discendi Ius ciuile.

AD CONSALVVM PERESIVM AB EPISTOLIS ET A' CONSILIIS PHILIPPO REGI OP. MAX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



BONONIAE APVD ANTONIVM MANVTIVM ALDI FILIVM M D L V I.

MI. THO. TAXAQVETIVS CONS. PERESIO AB EPISTOLIS ET A' CONSILIIS PHILIPPO REGI OP. MAX. S. P. D.

BIBLIOTECA ROMA

CVM haſce duas ciuiles oratio nes feciſſem, eaſque ut ederem multi boni ac docti uiri ſuade-rent, idque ego cõſtituiſſem; tu mihi occurriſti ĩ primis CON SALVE clariſsime, in cuius nomine primus hic noſter par-tus appareret. Eſt enim hæc iuris diſputatio ab offi cio tuo, qui ciuilia & publica negotia tractas, non modo non aliena, ſed ualde cõiuncta: quã tamen nos ita tractamus, oratione quadam non plane a-greſti, ut ſperem noſtrum hoc ſtudium ualde tibi iri probatum: ſanè uehementer opto. Equidem (quæ mea eſt in te obſeruantia) uolui, quantum potui, nomen tuum, quod inter Hiſpanos, & omnes qui iſtam curiam norunt, celebre eſt ac il-luſtre; in hac quoque Academia & ipſis ſchòlis, in quas nobiliſsimi quique Italiæ iuuenes conue-niunt, frequentari. Eſt enim hoc boni ciuis offi-cium; & principem, in cuius poteſtate eſt uene-rari ac colere; & eos omnes, quos ipſe in primis

charos habet, obseruare. quod ego ita libenter facio, ut PHILIPPVM REGEM uenerer omnino ac colam: quem Op. & Max. semper nominare constitui. Nam quod ab optimis parentibus procreatus est optimis moribus filius, uere optimus: Et quod a maximo patre maior omnino Rex extitit, quam fuerit alius post illos principes Cæsares; recte maximus dici potest. quibus tamen ipsis iustissima tot regnorum possessione longe quidem antecellit. Iustius ergo a nobis PHILIPPO REGI hoc Op. & Max. nomen tribuetur; quam fecit antiquitas, quæ illud Cretensi Ioui tribuebat. faciam autem libentissime, ut honestatis amplitudinisque causa, ipsius PHILIPPI REGIS nomē sæpe in mea scripta conferam. Te uero Consalue clarissime semper obseruare cō stitui: propter honestatem; industriam singularē; & tuam cum nostris studiis coniunctionem. Tu enim is es, qui Curiam istam, templum amplitudinis, gloriæ & Imperij domicilium, magna parte gubernas: Tu is es, quem Op. & Max. REX PHILIPPVS uoluit unum, maximarum & difficilimarum rerum sibi esse ministrum, & consiliorum participem: In te boni omnes ac docti (& sanè non temerè) præsidium sibi iudicant constitutum. Nanque & tu in maximis occupationi-

bus, semper aliquid dignum ingenio tuo excellenti meditaris. A quo nos studio meditandi aliquid & efficiendi (quanquam pro tui ingenij copia tibi longe impares sumus) certe quidem non abhorremus. accipe ergo humaniter ac benevole libellũ hunc, uoluntatis in te nostræ, & singularis observantiæ indicem; & nos ama. Vale Bononiæ, IIII Cal. Octobris M D L VI.

Lucem mi liber, & forum uideris
Toto auere animo; nec imperitum
Esse te repetis, nec impolitum;
Quem nos pumice singulis diebus
Valde ter simus, expoliuimusque.
Sed mores hominum mihi uideris
Parum candide mi libelle nosse.
Occurrent tibi plurimi, negantes
Tractari bona & elegante lingua
Posse ius; me adeo esse iuniorem
Addent, ut studij audeam quasi artem
Iuris tradere. Quæ tibi libelle,
Si dicent homines mali, imperitique;
Auscultа patienter, atque ride.
Si dicent homines boni, atque docti;
Responde: dare nomen atque uitam
Scriptis ingenium: adde quinque lustra
Quæ nos uiximus, omnia hocce solo
Consumpta in studio artium bonarum.
Queis adiunximus, ac tuemur unum
Ius ciuile: sed imperitiores
Si quis dixerit; huic licere dicas
Hoc toto (ut uolet) experiri in anno.
Verum si grauiorque digniorque
Nobis se obijciet; pares ut esse
Desperes; fugito ad tuum patronum

CONSALVVM, inque sinum illius reconde
Totum te; ac eadem acriter reclama.
Nam tanti grauitate tectus atque
Dignitate uiri, nihil timebis.

DE TOTA IVRIS CIVILIS RATIONE

ORATIO.

SI MIHI ex ulla doctorũ hominũ corona hilaritas aliqua exorta est; & si unquam cõspectus uester fuit mihi iucundus; qui sanè fuit sæpe iucundissimus: Equidem hodie nouam quandã lætitiam uideor mihi animo gestare, conceptam ex bonitate ac uirtute uestra; quasi diuinatricem communis nostrum omnium laudis, & magnæ cuiusdam publicæ utilitatis. Tales enim ego uos esse iudico, quales sæpe cognoui: ueritatis amatores, studiosorum omniũ fautores, & publicis in primis utilitatibus seruientes. Ego uero, & si non ea sum eruditione ac ingenio, quale munus hoc postulat quod suscepi; tamen omni conatu enitar, ut nostra hæc oratio nemini uestrum iure displicere possit. quum enim me probè ipse cognoscam; quantum mihi uideo ingenij ac doctrinæ deesse, tantum contendo diligẽtia & labore supplere: quod si unquam alias, in hac una maxime te spero me esse consequutum. Ac sane liberali-

ter hoc apud uos de me fateri libet, & quia ita est certe decet: Equidem, quanquam alijs in rebus non ita magno sum ingenio; in his tamen literarijs, in quibus publica omnium utilitas uersatur; sentio me aliquando supra naturam & ingenium meum erigi, studio quodam singulari omnium studia adiuuandi, ac omnibus commodandi. Vobis autem, uobis in primis Iuris ciuilis studiosi, labor hic noster, & diligentia desudauit. Quum enim me ad hoc Iuris ciuilis studium cõtulissem, philosophiæ, & politioris humanitatis non plane rudis; cumque duo hæc studia, diu multumque ad meam utilitatem cum nostro Iure comparassem; nolui uos huius mei laboris expertes esse, & nõ hæc nostra (qualiacunque sunt) uobis iudicanda exhibere. Nam si non recte hæc à me fiunt; malo reprehendi a quouis, quam errare: & si quid recte fit; uolo hoc publice ad omnium utilitatem seruire: uestram maxime, quorum humanitati ac uirtuti, quicquid boni excogitari potest debetur. Quos enim ego malim meorum studiorum omnium iudices esse, quam uos? quos ego semper tales esse cognoui, ut & ingenio optima quæque quam facillime possitis intellige re, & iudicio quodam singulari, sectari. Vos ergo uos, cupio esse meorum omnium scriptorum, ser

monum, cogitationum; iudices, censores, correctores. Audite ergo tota mente & animo uiri clarissimi, Iuris ciuilis studiosissimi; quæ ego aliarum artium & philosophiæ studijs adiutus, sed huius Iuris í primis studiosus, de tota hac ciuili disciplina cogitaui. Noua enim erunt, & nunquam (ut arbitror) audita; sed ueterum Iurisconsultorum sententijs quam maxime consentanea. Pertinent autem ad uniuersam ciuilis doctrinæ rationem; antiquamque illam iurisperitiam ex ipsis repetunt monumentis antiquitatis. Res omnes & artes, quas cura & industria hominum ad suam utilitatem inuenit ac perpoliuit, sua quædam tempora habuerunt; in quibus commutationes quasdam & uarietates acceperunt. Sic differendi ars, alia fuit Anaxagoræ & Anaximenis tempore; alia Platonis; quam tamen inchoatam ab alijs; posteris Aristoteles integram tradidit atque perfectã. Medicinam autem nõne Apollo & Aesculapius fecisse traduntur? at illi magis excellenti quodã ac singulari ingenio, quam arte ulla hoc fecisse iudicandi sunt: nullam enim huiusmodi artem, legimus ante Hipocratem extitisse. Sic nostra hæc ciuilis doctrina, Artium sine dubio maxima, & semper a nobilissimis uiris tractata; alia fuit Decemuirum: alia Galli Aquilij, Scæuolarum, & Sul

pitij tempore: alia Cæsarum: in qua tandem mul ta nostri doctores immutarunt. Ac quamuis fue rint multæ & uariæ huiusce artis cõmutationes; hasce ego quattuor tantum tractare constitui: quia præcipuæ ipse sunt; & in eis multa possum per commodè dicere, quæ ego summo studio, magnaque cogitatione in meam ac uestram iuue nes utilitatem collegi. Decemuiri XII tabularum authores, fuerunt illi quidem docti uiri, & æqui tatis, potius quàm summi cuiusdam iuris amantis simi. Hoc multis locis libri nostri 1 docet, quod & Cicero 2 non malus huius rei author. clare tradit: sed omnium maximè quædam harum frag menta à doctis uiris collecta, & ipsæ XII tabula- rum (ut ita dicam) parietinæ demonstrant; quam illæ fuerint æquitatis plenæ, & summo iuri, in quo sæpe summa iniuria, contrariæ. Diu his le- gibus usi Romani, tranquillè & sine magna diffi cultate lites terminabant: donec uetustate qua- dam uulgo hæc non intelligi cæpta sunt; ita ut à paucis, qui fastorum rationem cognitam habe- bant, ius omne exquireretur. Hosce autem fastos, cùm in uulgus scriba 3 Flauius edidisset, ita fe- runt ipsius beneficio fuisse populum delectatũ, ut ex scriba & liberto summa populi uoluntate Aedilis curulis, & senator crearetur. Quanquã

1 lege XII tabu. de leg. her. C. §. sed hæc in- stitu. de ex her. lib. cũ multis alijs

2 Sæpe in orati. & li. de legib.

3 l. j. de orig. Iu.

de hoc Flauio ualde 4 Cicero dubitat; uerit ne scriba, & omnino quis fuerit: hoc tamen quod ad hanc rem maxime pertinet, non negat: fuisse illum a populo propter hoc factum, Aedilem curulem creatum. Hic ergo difficultate per Flauium sublata, recreari populus cæpit, & æquitas illa iterum in forum redijt cum summa omnium uoluptate. Verum enim uero, quum hæc Ars huiusmodi sit, per quam magnus nobilitati splendor, & summa dignitas commodè poterat comparari; tecta iterum à nobilibus est, & ad se eleganti quodam artificio tracta. Cæperunt enim quadam uerborum cõceptione 5 actiones proponere, & quod Cicero, 6 & ex ipsis ueteribus Iurisconsultis nonnulli uehementer reprehenderunt; in literis syllabisque ius, potius quam in æquitate constare uoluerunt. Talis per multos annos fuit M. Bruti, Scæuolarum, Galli Aquilij, Sulpitij, ac Trebatij tempore, prisca illa Iurisperitia. Hoc sanè, ut in punctis quibusdam æquitatem collocarent; magnam copiam dedit oratoribus uehementer & grauiter contra ipsos differendi. Quod quidem non solum oratores fecerunt, sed & ipsi (ut ante dixi) Iurisconsulti æquitatem aliquando contra illam ipsam iuris subtilitatem defenderunt. Sic Crassum generum Q. Mutius

4 Li. vi ep. ad Att. ep. 1. pa. 6. & 78 Ald.

5 L. 11 de ori. iu. § de inde. & l. 1 deform. C.

6 In ora. pro L. Murena pa. 129 & 130

cõtra Scæuolá armauit in nobili illa M. Curij cau sa: in qua Scæuolá ea dignitate & Iurisperitia uir, quia uerbis oppugnare æquitatẽ uidebatur, cau sa cecidit: quam Crassus æquitatis, socero con sulente defensor, obtinuit. Ergo non omnibus Iurisconsultis, etiam tum temporis, placuit uer borum illa & punctorum scrupulosa ac tenuis a nimaduersio. Verum ea (ut antedixi) diu in fo ro illo Romano ualuit; quod hoc artificio quam maxime nobilitas iuuabatur. Cui quidẽ difficul tati Romani illi prudentissimi Prætorũ authori tatem oppoſuerunt; ut nimiam illam ſubtilitatẽ & ſeueritátem æquitate temperarent. Addere ergo & corrigere 7 Ius ciuile Prætori licebat; tum ſcilicet, cum æquitatem tuebatur. Qui ſi Iuri ciuili uoluiſſet addere ſeueritatem (ut ego arbitror) non potuiſſet: certe quidem contra Prætoris officium feciſſet. Recordari enim opor tet illud: Prætorem leniendo Iuri ciuili eſſe præ fectum, & eſſe quaſi miniſtrum & ſacerdotem æquitatis. At recentiores Imperatores, quum uiderent illam (ut ipſi ſæpe nominant) iuris ſub tilitatem, ob multas cauſas ualde eſſe inutilem; iniquam, & lites efficientem potius, quam ſedã tem, ſenſim eam correxerunt. Quam tamen Iu ſtinianus 1 totam uidetur auferre uoluiſſe, ut il-

7 Ius ciuile de iuſt. & iu.

1 Apparet in illis duobus locis ante citatis cũ multis alijs.

lam XII tabularum æquitatem reuocaret. Qua sane æquitate oportet nos in omnibus causis uti: quia in hoc, quo utimur iure, quam plurimæ & præcipuæ leges ipsius sunt Iustiniani: ac totum ius ab ipso comprobatum atque confectum, potest non male Iustiniani proprie appellari. Hæc est breuis, & ex antiquis scriptoribus repetita, doctrinæ huius & ciuilis Iuris expositio: quale fuit priscis illis temporibus Decemuirum; quale in flore ipso Rom. Reipub. & primis Cæsaribus; & quomodo hoc ipsum est a nouis Imperatoribus immutatum. Reliquum nunc est, ut quartum caput attingamus: scilicet; quænam facta est hoc in iure consuetudine, potius quam ulla iusta authoritate a doctoribus commutatio. Ac sane latissimus se mihi campus in hac re ostendit, & prompta est ampla quædam materies multa & infinita hac de re dicendi. Quam tamen totam ita temperabo, ut multa utilissima sim, & nondū audita dicturus; singula certo ordine digerens, ne incerta uagetur & fluctuet oratio. Quod etiā plurimum ad breuitatem ualebit; ut quam plurima explicantes, breuis potius uobis omnibus, quam longa & nimia fuisse oratio nostra uideatur. Iustinianus tota hac ciuili doctrina constituta, in qua uidebat quantum desudasset, ob

multitudinem antiquorum scriptorum, & sentẽtiarum uarietatem; sapienter ille quidem prouidit, fore ut posteri quoq; in hæc eadem, duo uitia impingerent: multitudinis librorum, & opinionum uarietatis. Itaque legem [2] tulit, ne quis ullam Iuris interpretationem scriberet, sed omnia suis legibus decidantur: quod si quid nouæ causæ oriatur, usitata & quam optima consuetudine, Imperator, penes quem est omnis legum authoritas, consulatur. Aequissima fuit illa sanè & utilissima lex, ac Imperatoriæ illius Maiestatis plenissima. Quam quidem dum uolunt doctores interpretari, illud efficiunt; ut non paucis deprauare eam potius, & corrigerre uelle uideãtur quam explicare. Qui contra hanc legem fecerunt ex his quos habemus, principes fuerũt: Azo, & Accursius. Hi, quum iam per uniuersam Italiam omnis esset Imperij ratio commutata; non sunt amplius legem illam Imperatoriã ueriti: itaque sine ullo metu supplicij contra illam legem fecerunt. Quanquam sanè in hoc uehementer peccarunt; quod leges illas, quarum authoritate omnia æstimabant, primo ipsi tanquã ingressu peruerterunt. Tantum apud illos ualuit inane quoddam gloriolæ nomen, & ostentãdi ingenij cupiditas. Verum hæ duæ (ut conij-

cio)

[2] l. 1. in fi. de ue. iu. enu. C.

cio) causæ fuerunt, cur ipsis lex illa, æquissima sanè, uisa est iniqua & non seruanda. Vna quod uidebant (quæ erat tum humanitatis, & bonarũ artium ignoratio) neminem posse leges illas percipere, qui non multa magistrorum opera iuuaretur: altera, quod non facilè poterat quiuis libros illos comparare. Itaque utebantur plærique suorum magistrorum scriptis, & in scholis atque iudicijs illorum præcipuè sententias recitabant; & tanquam dictata decantabant. Quod; sanè effecit, ut in hac nostra ciuili disciplina tanta sit habita ratio sententiarum aliorum, & communium (ut uulgo uocant) opinionum: quum nihil tale uideam in alia ulla arte factitatum. Verũ sit sanè hæc aliqua illorum excusatio, à nobis primum inuenta; ut ex hoc appareat, nulla nos maleuolentia agi transuersos in ueteres doctores: quid enim esset stultius? Illa nihilominus lex, ut aliæ omnes Iustiniani, æquissima fuit, ac summa ratione lata. Ille enim, eos qui ad hanc Iuris disciplinam accedebant, non ita rudes & imperitos uoluit esse, ut non per se quæ esset legum sententia elicerent; & non inuicem leges ipsas (nomine nus has ita) compararent. Verum illi, Azo, & Accur. quanquam contra legem illam, tamen hoc ipsum moderate fecerunt. Quos utinam ei

3 vnde natæ coẽs opiniones.

sent alij imitati. Et sane Accursius abundantia quadam ingenij, rationem quandam interpretãdi sequitur ualde bonam: similes, & contrarias sententias annotans illi, quam proprie tractat: ita ut legem, ex legibus tantum explicare uoluisse uideatur. Sequuti sunt deinceps alij, quibus liberior quædam explicandi ratio magis placuit, quã illa pressa & stricta Accursij; tametsi hi omnes plurimum Accur. tribuerunt. In his facile potest princeps Bartolus numerari. Fuit huius excellentissimum ingenium, summa diligentia; & (ut ferebant illa tempora) aliarum artium cognitio non uulgaris. Declarant hoc multa, quæ sæpe interserit, ex sacris 4 literis, & ex philosophis: sed omnium maxime probat, in mathematicis fuisse uersatum; illa quæ de Tyberi docte & eleganter, ex Geometrarum arte disputauit. Ipso autem orationis genere (ut tum loquebantur) pressus est; quanquam non ita astrictus ut Accursius; & in tota tractatione peracutus. Hic est noster Bartolus, quem utinam alia tempora meliora & cultiora protulissent: profecto non unum ex nouis, sed ex uetustissimis illis habuissemus alterum Q. Mutium, Aquilium, aut Sulpitium; quos solet Cicero dilaudare, & alijs omnibus ante ferre. Hosce est turba quædam consequuta:

4 1.1.de op. no. nũ. ubi multa dicit de prophetia, & uere

sed hi nec ingenio, nec re ulla cum illis compa-
randi; uno Castrensi excepto, qui quam proxime
ad Bartolum uidetur accedere. Verum quid in
nostris omnibus doctoribus desiderem, uolo bre
uiter exponere; ut uos intelligatis, quibus in re-
bus potissimũ laborandum esse existimo, ei qui
uult præclarè & excellenter in hac Iuris arte uer-
sari. Quam quidem in rem, quæso à nobis, ut
aures & animos erigatis: futura enim uobis est
hæc nostræ orationis pars summæ utilitati atque
etiam uoluptati. Tria præcipuè necessaria sunt
ei qui uult hanc Iuris artem scienter diligenter-
que, non negligenter & imperitè tractare: Lati-
ni sermonis, historiæ, & philosophiæ cognitio.
Verum dicet aliquis; nonne uides hisce tribus
tam multa contineri, ut in singulis uix aliquis pos
sit excellere? Cur ergo ea præcipis quæ à nemine
possunt præstari? an uis Platonis aliquam Rem-
pub. constituere? aut Ciceronis oratorem forma
re? Equidem non ita insanio, ut quæ ad commu
nem utilitatem affero, in ijs difficultates ego ip-
se obijciam, è quibus nemo queat emergere.
Ego latinũ sermonem, ita ab hoc nostro Iurisco
sulto uolo intelligi, ut Latinè bene loquatur &
scribat; quod plane necessarium ei est, si uult ul-
lo modo ueterum leges intelligere, aut aliquid

commodè tractare. Ad historiam quod attinet, nolo hunc omnia quæ ab Herodoto, aut Thucidide narrantur, memoria tenere: sed scire uolo quæ fuit Romana Respub. & quid in ea Imperatores gesserunt. Quorum quidem perfacilis est cognitio, ei qui non plane est ab omni humanitatis studio alienus. Hæc dicet aliquis, uera sunt; sed a quouis tenentur. Ita ne? docere quidem uolo, propter hanc perfacilem & mediocrem latini sermonis, & historiæ cognitionem, sæpe summos nostros doctores in maxima peccata incurrisse. Sed illud, quod de philosophia tertio loco dixi, in quo potest quispiam hærere, prius oportet explicare. Volo nostrum Iuris studiosum, non tam doctum esse, & in philosophia uersatũ, quam ab hoc studio nõ abhorrere: artem tamen differendi uolo eum mediocriter tenere, & dialecticis esse imbutum. Dialecticam uero quum dico, nemo intelligat, inutiles quasdam uniuersalium, & prædicabilium (ut loquuntur) disputationes: hæc enim ipsis sunt philosophis relinquenda; & utinam moderatius, quam uulgo fit, tractarentur. Noster autem Iuris studiosus rationem quandam inueniendi argumenta, & ea tractandi debet omnino tenere. Hoc propterea perneccessarium ei est, quia nullam rem possu-

mus scienter, eleganterque tractare, nisi certis in ea argumentis utimur; ratione quadã inuentis, & arte tractatis. Huiusce rei, aut ars nulla est; aut hæc sane una, quam dialecticam nominamus. Hoc uidit acutè Trebatius, & ea Iuris doctrina ac exercitatione uir, qua erat; iam senex contendit a Cicerone, ut sibi artem aliquam inueniendi argumenta conscriberet. Ergo inuenietur aliquis ita arrogans, qui usu aliquo Iuris, sine ulla arte, putet se posse consequi, quod per se Trebatius nõ consequebatur? aut erit aliquis, homo ita stultus, qui hoc nolit scire, quod plane necessariũ est, ut commodè in sua arte uersetur? Neminem sane arbitror esse, modo huius iuris studiosus sit, quo homines moderati, & periti rerum efficiuntur; qui ea sit arrogantia, aut stultitia; ut quod utilissimum uidet esse, reiciat; uel exercitatione quapiam consequi se posse arbitretur, quod Trebatius nequiuit. Video sane nos omnes mihi in hac re assentire; quod hoc uestrũ silentium plane demonstrat; sed multos difficultate deterreri. Equidem nunquam ita quempiã decipiam, ut hoc dicam cuiusuis ingenio esse perfacile: uerum non ita difficilis res est, ut à plærisque iudicari solet. Euenitque hac in re idem, quod sæpe nobis euenire solet; quum longo in-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

teruallo editum aliquem montem aſpicimus, quem opinione plane inacceſſum, & intuium eſſe iudicamus: at quum proprius acceſſimus, & uiam ipſam ſaltuſque uidemus; ſæpe ad uerticem uſque ſine magna difficultate, nobis nec opinantibus peruenimus: ſic eſt in hac diſſerendi arte, & tota philoſophia, atque hiſtoria: ut quia noſtri nunquam hæc ſtudia attingunt, iudicent illa eſſe difficillima. Quo errore liberarentur, ſi ipſa aliquando tractarent; & quod ante dixi, non abhorrerent. Quod autem dixi, hoc non ita facile eſſe cuiusuis ingenio, ſic uolo accipi; quia nec cuiuis conuenit hoc Iuris ſtudium. Decet enim & ad intelligendum, & ad agendum promptum eſſe atque paratum, qui uult in hanc artem totus incumbere: iuſtum præterea, ac pium, & in omni actione moderatum, ac elegantem. An hæc cuiusuis ſunt? & ab omnibus tenentur? atqui huic quem nunc deſcripſi, quam facillima erit illarum trium rerum, & omnis præterea cognitio. Quod autem pertinet ad dialecticam; habetis Ciceronis Topica: quem librum ille proprie ad hũc Iuriſconſultorum uſum ſcripſit. Vtimini ergo illo ac fruimini: eſt enim ita facilis, ut eum quiuis ingenioſus adoleſcens, & in noſtra iuris arte mediocriter uerſatus, per ſe facile poſſit intellige

re. Quod si in re aliqua hæreas, non desunt Bononiæ, quos possis ea de re interrogare. Me sanè totum in hanc rem uobis do; sumque uobis omnibus studiosi adolescentes in hoc studio quàm libentissimè seruiturus. Sed requiret iam anobis aliquis, ut illud quod paulo ante pollicitus sumus doceamus: ob mediocrem latini sermonis, historiæ, ac philosophiæ neglectam cognitionem summos sæpe homines,& excellẽti quodam ingenio præditos, in maxima quædam peccata incurrisse. Quod sanè nollem à quopiam ita accipi, ut putet hoc a nobis argumentum suscipi maleuolentia aliqua, aut arrogantia. Veterum enim ego ingenia,& diligentiam; Accursii, Bartoli, Castrensis, sæpe dilaudo: doctores autem omnes, quos nunc habet & annis proximis habuit Bononia, maximè præceptores meos: Marianum Socinum, Armium, Angelellum, Paleotum; semper amaui, colui, obseruaui: & ab ipsis sensi me mutuo amari, & studia mea approbari. Quid ergo? quid quæso potuit me transuersum agere, ut ab instituto illo meo ueteri, & meæ naturæ accommodatissimo discederem? nihil sanè tale mihi accidit, aut unquam accidet; ut non eos beneuolentia & obseruantia, quam eis debeo, semper complectar. Verum hæc omnis

noſtra diſputatio ſuſcepta à nobis eſt illis libentiſſimis, qui ſæpe mihi ipſi (ut ſunt boni uiri) confeſſi ſunt; hiſce meis ſtudijs, & hac ratione, poſſe multum in iure profici. Ad eam ergo partem aggredior, in qua multa dicam à communi & uulgari opinione remotiſſima: & in qua ſine ulla cuiuſpiam iniuria uerſabor. Principio ex latini ſermonis ignoratione innumera peccata in doctorum ſcripta dimanarunt. Ac illud præcipue, quod unuſquiſque leges in ſuam ſententiam trahit, uerbis ſæpe & tota oratione repugnante. Quod ſanè uitium, quàm latè pateat, nemo nõ uidet: complectitur enim infinita quædam noſtrorum peccata. Sed uideo mihi ab aliquo obijci illud, legem non eſſe uerbis poſitam, ſed rebus: à quo, prius quam reſpondeam, percunctor: potes ne tu alicuius ſententiam ſermone, aut ſcripto explicatam, ſine uerbis intelligere? non arbitror aliquem ita ſtultum reperiri poſſe qui hoc dicat: atqui in hoc tota illa prior noſtra ratio conſiſtit: ad id autem quod obieciſti, dico; uerè eo loco probari, non in literis & punctis uerſari ius, ſed in æquitate: nec quærenda eſſe uerborum aucupia, & literarum tendiculas, ſed ueram legis ſententiam ex æquitate eſſe ſpectandam. Verũ ad id quod dixi de noſtrorum peccatis, propriùs accedo;

l. 2 Cõmu. de lega. C. & ul. de uſur. C.

accedo; & ex infinitis, duo tantum exempla ponam: unum ualde illustre; alterum paulomagis reconditum; sed ad intelligendum utile, ac necessarium. Doctores post Accursium, & Bartolum omnes ualdę laboratunt in extrema parte pri.§.l.1.de no.op.nun.ff.dum dicit Vlpianus: [Eatenus, quatenus is qui nunciasset ius nunciandi non haberet.] Qua quidem in re nihil ipsi certi ac definiti constituerunt; quod uim illarum duarum uocum; eatenus quatenus non intellexerunt. Atqui hoc non tam erat a Iurisconsultis & legibus, quam æ grammaticis, & bonis latinitatis authoribus repetendum. Quem quidem locum nolo nunc explicare (esset enim præter rem) præsertim quum illum alias sim latissime explicaturus. Ex eadem latini, græcique sermonis ignoratione dubitatum ualde est; nec satis est intellectum; quid illud sit 2 Modestini: [Ex pollicitatione quã quis ob honorem apud Rem pub.fecit;] Quid (inquam) sit illud, apud Rẽ publicam? At qui si latinum & græcum sermonem mediocriter homines hi intellexissent; facile græcam, non latinam orationem esse cognossent; & in eo nullam esse difficultatem: est enim omnino idem, ac si Reipub.benè latine dixisset. Modestinus enim inter alios, fuit græcæ linguæ

2 l.9. de pollici.ff.

doctior, quam latinæ. quanquam id quoque sæpe alij paulo in hac lingua cultiores, fecerunt. Quod quidem (ut alia multa) docte copioseque An. 3 Augustinus, quem honoris causa nomino, annotauit. Sed nos ab his quæ tenuiora uideri possunt (quanquam sunt plane necessaria) ad alia duo capita, in quibus paulo uberius uersabimur, transeamus. Quid de historia dicam, ex cuius ignoratione infinita quædam errorum copia in nostrorum scripta tanquam inundauit.

3 li. 11 emen. ca. 1.

Nec uero committam, ut uulgaria quædam peccata & à multis reprehensa afferam: quale illud est Accursii, 4 quum explicat, qualis fuit Romanis cum græcis disputatio; quum hi decemuiros in Græciam miserunt: quid enim potest illo ineptius dici, aut magis esse ridiculum? Est aliud non multo minus crassum 5 Bartoli, in quo ille Iurisconsultos omnes putat ante Christum fuisse; & addit præterea alia multa, quibus plane suam parhistoriam doctis omnibus demonstrauit. Sed omittamus hæc peruulgata & manifesta peccata. Volo enim duo præcipue tractare, quæ utilissima quidem sunt; nec satis sunt ab ullo explicata. In quibus, etiam ex nostris quidam politioris literaturæ studiosi, peccarunt. Vnum est de Gallo Aquilio, qui nam uir fuit, &

4 l. 2. d ori. iu. in uerb. græcis.

5 In rub. de op. no. nun. ff.

quo tempore floruit; alterum, quæ fuit ueterũ cõsuetudo in edictis,& quomodo ab his interdicta manarunt. Hoc enim male a nostris intellectum infinita peccata effecit; in primisque primum.§.l.1.& legem totam Prætor ait de op. no. nun.ff.perturbauit. Illud autem de Gallo Aquilio, legem Gallus de lib. & posthu. difficillimam illam quidem, multo difficiliorem effecit. Gallũ hunc Aquilium,de quo ualde dubitant nostri doctores; ex ueterum scriptis, atque ex uno potissimum Ciceronis loco penitus recognosco; qui uir fuit, & quo tempore uixit. Sic enim de eo scribit Cicero 6 [Nondum enim Aquilius collega, & familiaris meus protulerat de dolo malo formulas. In quibus ipsis, cum ex eo quærerem quid esset dolus malus; respondebat, cum esset aliud simulatum, & aliud actum. Hoc quidem sane luculenter,ut ab homine perito definiendi] In his uides uixisse, & familiariter quidem cum Cicerone Aquilium. Ex quo illud Accur.& doctorum reprehenditur; qui putant, hoc de Posthumo, authoritate quadam sua induxisse Aquilium, quòd esset Iurisconsultus. Nanque eo tẽpore nondum ea erat Iurisconsultorum authoritas, quæ ab 7 Augusto Cæsare primum emanauit. Illud etiam ex hoc Ciceronis loco potes ue

6 Li.3.offi.

7 L.ij.de or.iu.§.ante tempora

rissime reprehendere; quod sæpe Accur. & doctores dicunt in ea lege: nota, reprehendi Gall sententiam de superfluitate (sic enim ipsi loquũtur) & de defectu. Hoc qui potest in eum, dici quem peritum definiendi appellat? hoc enim, quod optimè nouerat definire, eius se artis peritum demonstrabat; in qua nihil superfluum, & nil diminutum uersatur. Aliud etiam ex hoc Ciceronis loco colligitur, de quo uir doctissimus, & bene disertus 8 Viglius dubitauit: an hoc de posthumo lege lata primus Aquilius induxerit? sed sanè uideo ante Aquilium de Posthumo fuisse inter Crassum 9 & Scæuolam disceptatum: Non quidem an posthumus posset institui; erat enim hoc multo ante iure ciuili constitutum: sed an secundus hæres posset esse M. Curius, posthumo non nato. Quæ sanè causa Curio est à centumuiris adiudicata. Non est ergo primum hoc ab Aquilio inductum. Huiusce tamen rei inducta fortasse primum ab ipso formula est, ac prolata. Hoc & initium illius legis indicat, quod est antiquis formulis congruentissimum; & præterea hic Ciceronis locus apertè demõstrat; hoc studio formulas proferendi fuisse Aquilium delectatum. Ab eodem enim habemus etiam Aquilianam stipulationem; quam formulam esse ne-

8 Instit. ti. de exhe. li. §. Post humorũ autẽ

9 Cr. in pri. oratorio pa. 29. in or. p A. Cæcinna & Topi. sed omniũ latissime in Bruto pa. 31.

mo potest negare. Videtis multa hic a nobis esse exposita; quibus antiqua illa Iurisperitia explicata est ac illustrata, & nostrorum peccata detecta; non maleuolentia ulla, sed studio antiquis illis suam laudem restituendi, & ne quis uestrum in ea amplius impingat. Ad illud nunc de edictis & interdictis, quod longe utilissimum est, ueniamus. Disputant de his multis locis doctores; remque hanc totam nemo, quem uiderim, perfecte intellexit, aut commode explicauit. Prætores, Romæ semel, aut iterum edicebant, toto illo anno quo Præturam obtinebant. Edicta enim ualde erant generalia & quam plurima capita continebant: illa in primis de hereditatum possessione, deque bonis possidendis: ac sæpe totam iuris dicundi rationem complectebantur. In prouinciis autem, qui eas pro Consule, aut pro Prætore obtinebant una hanc edicendi potestatem habebant. Interdicta uero, orta quidem illa sunt omnia ab edictis; sed hoc habent propriũ, quod semper unius alicuius rei, aut capitis edicti causa dabantur. Ita ex uno edicto poterant multa nasci interdicta. Nam cum quis contra unum, pluraue edicti capita fecisset, in interdictum incidisse dicebatur. Erant autem interdicta quædam, ab ipsis quidem edictis profecta, &

1 Præcipue l. Prætor ait de op. no. nu.

ita ipsorum quasi partes (quæ etiam aliquando edicta nominantur, modo discrimen illud intel ligatur) sed usu quodam longo confirmata, & facta quasi ciuiles quædam actiones: quæ Cicero 2 [Vetera nominat ac translatitia edicta.] Talia sunt uti possidetis, utrubi, & illud unde ui, de quo grauiter ac erudite pro A. Cæcinna Cicero disceptauit. Nam cum ueteres strictam quandam actionum rationem sequerentur, scrupulose singulas actiones & interdicta separauerant; sed erant actionum similia & plane paria huiusmodi translatitia 3 interdicta. Ex his constat, quam male a doctoribus duo hæc confundantur, edictum & interdictum: quod (ut ante dixi) totam illam legem Prætor ait, perturbauit. Nanque duo illa quæ ibi ponuntur capita, interdicta propriè sunt; atque ita semper ab Vlpiano nominãtur, nulla facta edicti mentione. Quod autem ipse lege prima in principio dicit: hoc edicto Prætor: nullo modo ad hæc capita debet refetri. Vnde quiuis potest intelligere, quã male illud dixerit Accur. uideri sibi prophetam Iureconsultum: quem Bartolus quidem defendit, sed (ut uerum dicam) non bene. Est enim caput illud (ut clarè potest intelligi) sumptum ex aliqua Vlpiani explicatione illius edicti; quod

2 li. iii in uer. pag. 99

3 Accur. insti. de actionib. in prin. ualent autem hæc quàm maximè ad tuendum Castrẽsem; quem male Decius reprehẽdit in Rub. qui admit. C.

quum ille antepoſuiſſet, aut ex perpetuo edicto retuliſſet, ad ſuam interpretationem aggrediens incipit: Hoc edicto Prætor ait. Vides ergo quã-ta lux poteſt ex his afferri illi præclaræ quæſtioni, de qua mentio eſt in quã plurimis noſtri Iuris locis? atqui hæc ignoratio infinitas nugas effecit; quum Barto. ait eſſe genus edictum, & interdictum ſpeciem; & dum uult Iaſon plane idem eſſe, nec ulla in re differre; quo nil imperitius, & ab hiſtoria remotius. Porro illud quod dixi, quã maximè generalia conſueuiſſe edicta proponi; ſumptum præcipuè á nobis eſt ex quodam Ciceronis 4 loco; qui cum iis comparatus, quæ de interdictis tradit 5 Iuſtinianus; rem proculdubio planam apertamque efficiunt. De philoſophia fortaſſe, quia res patet latiſſimè, & quia in ea uos omnes ſcitis, eſſe me aliquandiu uerſatum; multam á me doctamque orationem expectabitis. Ego uero in hoc laborabo, ut quæ dicturus ſum utiliſſima ſint; & ex magno cumulo eligam quam maximè neceſſaria. Sed quo maius hæc pondus habent, quam quæ ante dicta ſunt, eò illa aptius breuiuſque exponam. Peccatum á noſtris in hac re eſt multis modis. Quod quidem condonandum ipſis magna parte eſt. Quia

4 Lib. VI ad att. ep. 1 pag. 87.

5 Inſtitu. de interdi.

noſtra patrumque noſtrorum memoria, & fere ante quingentos annos, ab ipſis philoſophis male hæc ipſa philoſophia, inquinateq; tractata eſt; & (ut ita dicam) barbarè tradita. Nam quum ipſi nec græce, ſed nec latinè ſcirent; Platonem Ariſtotelemque non intellexerunt: Ciceronem uero lumen latinæ philoſophiæ, nunquam niſi tanquam grammaticum aliquem nominarunt. Itaque ad Auerroem, Scotum, & alias huiuſmodi nugas ſe totos conuerterunt. Quod ſi integrũ haberent Auerroem, fortaſſe non ita errarent, ut uulgo faciunt. Verum ille ex Arabica Hiſpanica que lingua uerſus, ac peruerſus potius, mille illis nugas & monſtra in animum inſtillauit. Sed reprehendet aliquis in me illud quã maximè; quod in omni diſciplina nimiam uolo haberi linguæ & orationis rationem. Sed dum hoc in philoſophia dico, audite o uos præclari philoſophi; Platonis, Ariſtotelis, Xenophontis, Ciceronis exẽplo dico: quorum nemo non magnam curam ſtudiumque poſuit in excolendo ſermone. Quid ergo? putatiſne uos horum ſimiles poſſe euadere ſine ulla ſtudiorum ſimilitudine? aut mauultis Scoti, & Burlei ſimiles eſſe, quæm Platonis, & Ariſtotelis? ſed hæc fortaſſe aliquando propria aliqua diſputatione à nobis tractabuntur; nunc

ponb

quod instat, agamus. Ah his malis philosophis non potuere nostri, nisi malam quandam philosophiam accipere, creuit etiam apud ipsos peccatum, quo erant minus in ea doctrina uersati. Possem huiusce rei infinita exempla afferre. Nã quia latissimè patet philosophia, & res omnes diuinas humanasque complexa est; & quia ius tale quoque est; fit, ut quam maximè in eam nostri impegerint. Est quoddam in hac re peccatum uulgo ab omnibus 1 approbatũ, ita ut pro regula quadam correlatiuorum (ut ipsi dicunt) habeatur. Sic autem hæc ab ipsis traduntur, ut si quid uni relatorum tribuitur, sit idem quoque alteri tribuendum. Ita si iustus pater erit, si pius, si moderatus, erit ex hac regula, iustus, pius, moderatus filius. Rursus; si claudus, si luscus, si hebes est filius (quæ omnia naturæ sunt uitia) erit & claudus, & luscus, & hebes pater. Quo quid absurdius? scio autem constringi regulam hanc ab ipsis multis modis, sed sanè tota ipsa regula falsa est, & euidens est in ea peccatum. Peccati autem hæc est causa. Quum uidisset Bar. in iure quædam ita coniuncta 2 esse, ut si in uno ualet aliquid, hoc idem sæpe ualeat in altero; putauit ipse hoc esse non posse nisi ob hanc ipsam unam relationis. Et acceperat fortasse ipse ab aliquo ma

1 Bar. l. fin. de ind. uid. tol. C. & in l. 1. C. de cu pr. li. xj. doct. quoq; in ru. de acqui. poss. ff

2 l. fin. ancci. & l. v. de resc uẽ. ff.

lo philosopho (nemo enim mediocriter doctus hoc unquam dixit) ita esse in relatis: quum hoc non dicatur a philosophis sed hoc alterum; sequi se inuicem relata & quasi ponere; ut si pater est, sit filius necessario, & contra: illud autem nemo unquam somniauit; ut si dolo quidpiam facit filius, pater quoque in eodem dolo esse dicatur.

3 L.V.ante cita. Quod autem de emptore & uenditore ait 3 Iulianus, non est propter ullam relationem; emptor enim & uenditor relata non sunt: sed est, quia emptionis ac uenditionis eadem plane est actio, ipsis tantum personis distincta. Ita si in emptione est dolus, quia eadem actio uix unquã potest separari; est etiam in uenditione dolus. Habito tamen personarum respectu, non actionis ipsius, potest aliquando dolosus esse emptor, sine ullo dolo uenditoris. Atque hoc est, quod in fine illius legis uult Iulianus; in qua tota nulla mentio relatorum. Velim auditores clarissimi, si hæc tenuius & subtilius a me tractantur, quam locus hic postulat; hoc non mihi tribuatis, sed illis à quibus primum hoc emanauit. Quum enim in eam essem orationem ingressus, fuit illinc quo quo modo exeundum, aut potius erependum. Nunc quia ab his uadis emersimus, liberius uagabimur; & in re longe magis ad utilitatem & uo

luptatem ueſtram accommodata reliqua noſtra oratio uerſabitur. Ergo de illa parte philoſophiæ, quam præcipuè ante attigimus; ſcilicet de diſſerendi facultate tractemus. Facere non potuerunt noſtri, quin ex iis quæ in hac arte tractantur, multa illi in ſcripta ſua conferrent; artem tamen ipſam totam neglexerunt: quod eos in maxima peccata induxit. Principio omnem diſcep tandi inter ſe rationem perturbauit: quum is qui aliquid ponit, non reſpondet ut ſua tueatur; ſed argumentatur, & urget alterum, ac cogit reſpondere: quo quid poteſt eſſe perturbatius? illud autem, quod tam longa oratione ab ipſis tractatur, de argumento a contrario ſenſu, 4 & ab ethymologia, 5 nonne ab eodem fonte manauit? ſed hæc alibi latius explicabo. Itaque nunc nil amplius dicam. Sed unum uolo tantum tractare, & a uobis intelligi, de argumento a ſimilitudine: quod ſentio hac una re cognita, totam hanc noſtram orationem uiſum uobis iri utiliſſimam, & ad ueſtra ſtudia reformanda aptiſſimam. Solent noſtri doctores hoc ſimilitudinis argumẽto quam maximè uti, nec ſanè ullum argumenti genus crebrius in ore & ſcriptis ipſorũ uerſatur; quod illi hac oratione ſignificant: argumento (inquiunt) eſt lex; ſed in eo quam maximè peccatur.

4 L. 1. de offi. eius. ff.

5 L. ij. §. appellata Si Cer. Pe. ff.

Principio quum de iure alicuius rei dubitatur, paucæ admodum sunt res, quæ illam similitudinem habeant, ex qua possit bonum similitudinis argumentum sumi. In singulis enim causis multa propria & singularia considerantur a Iurisconsultis, quæ difficillime possunt in aliam quampiã rem conuenire. Hoc ueteres illi Iurisconsulti acutissime (ut alia omnia) uiderunt; itaque rarissime usi sunt hoc similitudinis argumento. Quod clare docet Cicero ad Trebatium scribẽs. [Similitudo (inquit) sequitur, quæ late patet, sed Oratoribus & philosophis, magisquã uobis.] Hoc cum Cicero Trebatio scribat, certum est apud ueteres illos Iurisperitos ita receptum & usitatum fuisse. Quod quidem quàm contra a nostris fiat, nolo longa oratione narrare; hoc unũ uobis aperte & simpliciter dico: Decio, & Iasoni, qui nunc in maximo sunt honore, posse tertiam scriptorum partem decedere, si illa ueterũ regula seruaretur, ut rarissime hæc similitudinis argumenta usurparemus. Ac sane mihi nil est facilius, quam illa ipsa similitudinis argumenta refutare. Quod idem uos quàm facillime potestis præstare, si intelligitis quæ debet esse similitudo, ut ex ea bene aliquid probetur. Vobis enim bene rem considerantibus semper aliquid occur

ret, quod illi similitudini possitis obiicere. Videtis ergo & in hac, & aliis quàm plurimis rebus, quantum nostrorum Iurisperitia ab illa ueterum recessit. At uero nemini dubium est, in quibus sit peccatum. Illi enim omnia acutè, doctè, artificioséque tractarunt: nostris (ut leuissimè dicam) multa artis & doctrinæ instrumenta defuerunt: quæ illis omnia suppeditarunt. Considerate igitur uos, & perpendite, quorum maiultis similes euadere, horum ne, an illorum? quanquam sanè dum hæc dico, non uobis suadeo, ut doctorum scripta planè negligatis; sed hortor, ut ueterum Iureconsultorum, quàm maximam rationem habeatis; & uestra studia illorum more formetis. Stultum enim est, putare sine magna studiorum similitudine, posse illis similes euadere. Hoc ergo uos hortor, hoc rogo, ac obsecro, quod tamen ad uestrum omnium utilitatem quã maximè pertinet; ut nostrorum non omnino neglectis libris, ueteres illos studioséè imitemini. Instrumentaque illa Iuris ciuilis; latinũ sermonẽ, historiã, ac philosophia, ut à nobis exposita sunt, comparetis. Sic enim & doctè sancteque leges tractabitis; & principis maiestatem reuerenter ac piè coletis; Remque publicam præclarè guber-

nabitis. Quæ tria quã maximè oportet uos intelligere, quibus est in foro ac hominũ luce uersandũ.

MI. TH. TAXAQVETIVS CONSAL. PERESIO AB EPISTOLIS ET A' CONSILIIS PHILIPPO REGI OPT. MAX.

OLO breuiter CONSALVE, clariſſime rationem huius noſtræ ſcripturæ & orationum explicare. Quanquam enim ſcio tibi fore notiſſimã, propter egregiam doctrinam ac ingenium tuum ſingulare; tamen quia uideo non defuturos qui eam ignorent; ſumo hunc laborem non tam uoluntariũ, quam (ut ego arbitror) neceſſarium. Fuit autẽ hæc noſtra ratio. Quum multa in Iure collegiſſem, quæ ſtatui ſeruare, & diu multumque polire; uolui aliquod tanquam induſtriæ noſtræ indicium & ſpecimen apparere. Ingratos enim in Deum & pene impios eos eſſe exiſtimo, quibus Deus uim aliquam & celeritatem ingenij tribuit; ſi eam omnem non collocant in iuuandis hominibus, & ipſis omnibus omnino utilitatibus comparandis. Hoc igitur impulit me, primum ut hæc ſcriberem, dein ut ederem. Sed quæret aliquis: cur hoc genus ſequutus es ſcribendi ora

tiones, quod uidetur à nostris scriptoribus alienius? huic non aliud responsum dabo; quàm me propterea hoc ipsum esse sequutum, quia nil potest esse coniunctius summis hisce duabus Iuris ac eloquentiæ disciplinis. Quod si quis ita est falsis imperitorum opinionibus imbutus, ut hoc per se nequeat intelligere, in summos illos & uetterrimos Iurisconsultos intueatur: Q. Scæuolã; Gal. Aquilium; Ser. Sulpitium; qui omnes eloquentiam unicè complexi sunt, ut ea Ius ciuile (ut Cicero ait) tuerentur. Hos ergo sumus imitati; dum orationes fecimus. Quanquam hæc ipsa, si tradere cum aliqua orationis ui & lepore uolebam, non alia ratione potui melius commodiusue tractare. Verum in hoc ipso oratorio munere non temere sumus imperiteque uersati.

1 M. Tullius in Bruto

1 Tria enim cum sint dicendi genera: unum summissum & tenue: modicum alterum & temperatum: tertium amplum ac sublime: hoc aliis maioribus causis reliquimus; temperatum illud & tenue diligenter sumus persequuti. Quanquam enim mediocres quam maximè esse uolebamus, lenitatem orationis ac numeros studiosè consectando; res tamen ipsa sæpe nos humiles esse coegit. Qui enim potui illud de relatis nisi humiliter dicere? in quo tamen ipso

apparet

apparet noſter conatus humilitatem (quantum licuit) uitantis, & mediocritatem conſectantis. Itaque prior illa oratio tota fere eſt temperata. In altera cernitur multo pluribus in locis humilitas: quam nullo modo potui uitare. Fuiſſet enim perridiculum ſi aliud orationis genus eſſem ſequutus. Huiuſmodi eſt tota illa de falſis ſummariis diſputatio. Nam in illis quæ inepta diximus, quia nil minutum fuit perſcrutandum, paulo grauius ſumus uerſati. Illud etiam, quum docuimus, quomodo ſit in doctorum ſcriptis uerſandum; non potuit niſi ſummiſſe tractari. Verum quæ poſtea inſequuntur, mediocritatem omnino tenent. In quibus præceptum illud Horatij ordinis commodiſſime (niſi fallimur) induximus. In quo cætera bene, illud & eleganter & callidé, cum orationem a literis, & ſcriptis ad omnem cuiuſuis rei ordinem reuocauimus. Illum autem locum, in quo Mariani Socini caſum deploramus, uera animi mœſtitia ita expreſſit; ut uix putem poſſe melius magnum luctum breui oratione demonſtrari. Ipſa uero peroratio, in qua Bartolum induximus, callide eſt aſtutéq; confecta: ut illud, in quo uidebamur graues in doctores fuiſſe, leniremus. Hoc quanquam callide factum eſt, tamen nil ſum mentitus. Bartolo enim ue-

re ac ingenue, quod ad Iuris usum spectat, summa omnia tribuo. Hæc est nostrarum orationũ ratio. Quæ ut tibi fuit ad intelligendum perfacilis, ita aliis erit fortasse perdifficilis. Volui autẽ sic omnibus satisfacere, nequis aliquid temere à nobis factum esse reputaret: non solum in Iure ciuili, sed neque in munere ipso oratorio. In quo si nequeo perfectè, at semper enitar, ut sine crimine uidear esse uersatus. Tu uero facile patieris; cuius tu rei minime omnium indigebas; si nos in ea per te uoluimus omnibus satisfacere, & occurrere fortasse aliquorum errori. Vale & nos ama. Bononiæ Idib. Octo. M D L V I.

DE RATIONE DISCENDI IVS CIVILE AD IVRIS STV-DIOSOS ORATIO.

AGNVM meum ſtudium, & conſtans in uos ac perpetua uoluntas, iuuenes optimi facit, ut nunquam ceſſem cogitare, ſi quid reperire queã, quo hoc Iuris ſtudium, quod & eſt, & iudicatur permoleſtũ; ratione aliqua & arte, ſi non iucundum & facile, at minus quàm uunc eſt moleſtum efficiã, in ueſtram & noſtrum omnium utilitatem. Ac diu mihi multumque de ea re cogitãti multa in mentẽ uenerunt, quæ ſpero uobis, nec inutilia, nec ad audiendum fore iniucunda. Sed uereor, ne quis hæc alia mente, quàm à nobis proferuntur accipiat (ut ſunt homines uulgò ad male de aliis ſentiendum ac loquendum proniores) mihi autem ego ſat conſcius ſum; nihil me non ſolum dicturum in hac re, ſed ne cogitaturum quidem, ut nec dixi adhuc, nec cogitaui; quo quiſquam uerbo ullo meo uioletur. Itaque hac meorum omnium factorum conſcientia fretus, libere eloquar iuuenes quæ ſentio ad ueſtrum commodũ

pertinere. Recordor enim me, & liberum & in liberrima patria ortum ac procreatum; iis præterea artibus institutum, quæ & liberos esse hominum animos docent, atque etiam efficiunt. Qua libertate ingenij ita utar, ut nihil quicquã licenter, sed ne immoderate quidem dicam. Vt enim odi seruia quædam ob ignorantiam & rusticitatẽ ingenia; ita execror uehementer immoderata. Talem quoque animum uelim uos iuuenes ad hæc nostra audienda afferre; liberum, & nullo præiudicio occupatum; moderatum insuper, & omni maledicendi studio carentem. Sic enim & influere in uestros animos poterit si quid afferemus, & penitus infigi; si experti, utilia uobis esse quæ à nobis dicentur, intelligetis. Atque hæc nemo uestrum ita accipiat, quasi ego tanquã præceptor aliquis prodeam ad docendum tantũ, non ad discendum paratus? Ego enim iuuenes multis uestrum non sum maior ætate; quamobrem uobis est cum æquali uestro lætandum: nec ea sum arrogantia, ut etiã maxime senex, nollem à quouis uestrum quicquid posset studiis meis utile esse edoceri. Ergo dicam ego nunc, quia meæ hæ sunt partes; quæ de ratione discendi Ius ciuile cogitaui: & rursus discam à uobis libentissime, si quid afferetis. Discimus Ius ciuile ex Pã

dectis, Codice, & iis omnibus libris, quos de hoc Iure fecit Iustinianus: & a doctoribus, qui in eos libros multa explicandi causa scripserunt: eos enim quos uiua uoce audimus cum his coniungo quorum scripta uolutamus. Dicam ergo quantum uni, & quantum alteri scriptorum generi sentiam tribuendum, & qua ratione uelim in utroque uersandum explicabo. Iis enim non assentior (ut sunt res) qui putant ab horum omnino libris abstinendum. Accedet etiam his, tanquã quoddam capitolij fastigium, ut aliquid de disputandi ratione dicamus. Iustiniani libris summã tribuet authoritatem, qui sciet, quantum est legi iuste a summo magistratu latæ in Reipub. administratione tribuendum. Sunt enim libri illi omnes, quasi lex unica plurima capita continens lata a Iustiniano ad omne forum constituendum, & omnes ciuiles causas diiudicandas. Propterea summe ille laborauit, ne quid simile ac contrariũ in hoc totõ iure inueniretur: ne quid esset in eadem lege repugnans, ac imperite iteratum: quod tamen in tanta scriptorum multitudine, & tanta causarum uarietate consequi non potuit: quod nec quispiam alius esset in eadem re cõsequutus. Rideamus ergo homines quosdam stultos, & cõmuni sensui repugnãtes, qui ut aliquid in nostro

l. ii: §. si quid autem de ue. iur. enu. c.

Iure reprehendere uideantur, quædam proferūt in quibus est aliqua dissimilitudo atque adeo repugnantia: & contra alios superstitiosos, qui ita hoc mordicus tenent, nihil esse in iure simile, nec contrarium, ut mille nugas & ineptias fingant, potius, quam fateantur (id quod fatendum est) aliquid posse aliquando simile, ac contrarium in his Iustiniani libris reperiri. Quid ergo stultius si quid tale reperitur, quam uelle Iustinianum alia ratione tueri, quam se est ipse tutatus? dicens, commune hoc esse uitium, nec ita perfectū posse quicquam à nobis effici, in quo non aliqua parte laboretur. Porro qui nimio acumine, dementia potius, propter unum & alterum peccatum ea reiiciunt, quæ multis aliis partibus possuut esse utilissima; ij mihi & communis sensus uidentur esse expertes, & naturam ipsam humanam aspernari. Itaque aut ad cælum conuolent statim; aut si hoc ipsi non possunt, consequens est, ut hi communis hominum ingenij aspernatores possint à nobis in bestiis numerari. Sed de his satis, quod tamen ipsum nō sine 2 causa diximus. Ad illud de Iustiniani libris redeamus. Quibus diximus summam esse habendam authoritatem. Fateor hoc dicet aliquis, sed difficile est sensum & mentem Iustiani ex ipsius libris intelligere. Fa-

In. §. ante cita.

2 Propter uanū illum Agrippā, & non nullos nouos scriptores.

teor quoque ego iis esse difficile, qui nec bene latine sciunt, nec ullam habent politiorum artium cognitionem. Multi enim sunt, qui ita linguā latinam tenent, ut Italicam rudes quidam Galli aut Hispani: qui loquuntur quidem aliquid, sed ex libris Italicis nullam bonam sententiam eliciunt. Laborandum ergo in hac re uobis est, & illis præterea duabus, quas priore oratione exposui, si quid uultis in hac arte studiis, & ingenio uestro dignum efficere. Sed hoc me ualde commouet ac deterret (dicet alter) quod Accur. & Bartolum uideo, summæ inter nostros authoritatis; locum unum modo quatuor, modo quinq; modis explicantes. Quæ ergo mihi est ex illis expositio eligenda? aut cui adhærendū? Et hi quoque (ut ante exposui) eodem uitio laborarunt. Sed ne quem res illa uehementius moueat, uolorem totam latius paulo ac fusius explicare. Sunt multi loci, & leges multæ (nominemus has ita nomine uulgari) sic scriptæ, ut uarias quasdam expositiones commodè possint accipere. Quod non solum in hoc scriptorum genere euenit, sed in aliis ferè omnibus, Philosophorum, medicorum, & in ipsis quoque sacris scriptis ac diuinis. Hoc quum utuntur illi genere explicandi, commodè illi quidem & rectè facere possunt. Verū

aliquando non diuersas tantum, sed contrarias & repugnantes afferunt; quod consistere nullo modo potest: cum unica tantum sit uuius rei ueritas, quæ secari, tanquam corpus aliquod, in plures & contrarias partes non potest. Hoc animaduerso, uidete in quod genus ex his duobus cadat illa explicationū uarietas. Atque in utroque ne more imperitorum incerti uagemini, uia hac & ratione utimini; ut ueram & certam legis sententiam intelligatis. 3 Primum quæ antecedunt, quæque sequuntur legem illam perspicite, & sæpe titulum ipsum, in quo lex illa posita est, in mentem reuocate. Valde enim ad leges intelligendas ualet titulus: ut commode ille ad genus omne scriptorum dixerit, quicunque dixit, semper esse titulum spectandum: quod quidem in nostris legibus cōmodissime dici potest, & quam maxime potest ualere. 4 Hoc etiam uolo uos admonitos, sæpe membra omnia & incisa, in quibus legentium mentes consistunt, a lege esse auferenda: & sic esse legendam, quasi nullum in ea punctum appareat. Ratio enim hæc interpunctorum noua est, & ad errandum facillima, præsertim in non ualde doctis Typographis. Expedit ergo admodum, simpliciter legem accipere. Illa enim, tametsi minuta, sæpe animum uehementius

3 pri. præceptio.

4 Secun. præceptio.

mentius perturbant. 5 Ac quia uulgo commu ni sermone iactatur, & sæpe euenit, ut lex una a- liam explanet; uidete diligenter quis sit cuiusq; legis author, præsertim cum de eo dubitatur. Ex hoc enim, cognita temporum ratione, qua se Iu risconsulti inuicem antecedunt, potestis intelli- gere, sit ne ueri simile legem unã altera explicari. Vt si quis uelit aliquo Iuliani capite sententiam quampiam Pauli explicari, hic mihi imperitus & ridiculus homo uideatur. At si contra aliquis cõtendat (quod nos alias 6 tractauimus, & ut spe ro, omnibus probabimus) præclarè hic uidetur posse sentire; & planè sentit non absurde. Hæc sunt, quibus uelim studiosum Iuris prius uti, tan quam instrumentis legum intelligendarum: ne statim ad glosas & ad doctrinas (ut uocant) cur- rat; unde sæpe minus accipiet, quam adduxit. Quanquam neque id reprehendo, ut Accursiũ uideat; sed hoc nolo, ut subito & festinanter: tan quam certus omnia ab illo iri explicatum. Sed hoc de Accursio post uidebimus; nũc de his quæ pro lege habemus, & de ipso iure dicamus. Ergo admonuimus uos iuuenes optimi, quod nos ex- perti scimus, & uos ipsi intelligetis, quanto uo- bis sit emolumento futurũ: primum ut in difficili aliqua lege intelligenda, & quæ antecedunt;

5 Tertia præceptio.

6 legẽ mo re Iuliam ff Iurisdict. om. iu. ff. explicari p le. cũ Prætor Pauli de iudi. ff.

quæque sequũtur diligenter cõsideretis; & titulũ quam maximè spectetis. Commata etiam omnia & puncta auferatis: demum ut authore ipso legis notato, uideatis, possit ne lex una alia explicari. Verum 7 quod nunc dicemus iuuare uos plurimum poterit in his omnibus quæ lectionibus (quas uulgo ordinarias uocant) tractantur. Est autem huiusmodi, ut pauloante quàm ad has est aggrediendum, uideatis omnes titulos, qui ea de re sunt in Digestis, ac Codice, & maximè illos Institutionum. In has enim summi illi uiri, & huius Iuris confectores & collectores, præcipuas Iuris disputationes contulerunt; explicatas illas quidem arte, ac omni dubitatione sublata. Vt sanè, quamuis multa latius sæpe alibi, nusquã tamen certius & apertius tradantur. Ergo ut ad ea ueniã quæ estis hoc anno audituri; uelim uos per diligenter legere titulum; Qui admitti, Vnde liberi, & omnes quos de bonorum possessionibus in sextum Codicis librum retulit Iustinianus. Neque negligere quæ de his eisdem bo. possessionibus in 36. & 37. Pandect. libros sunt ab eodem Iustiniano coniecta. Sed omnium primum uolo uos Institutiones uidere. Quo sanè in titulo proprie uidebitis, id quod nos ante diximus; summos illos uiros, hoc unum maximè stu

7 Quarta præceptio.

duisse, ut in illis Institutionibus artem, qualemcunque potuerūt, Iuris huius docerent ac traderent. Primum enim caput (ut sunt hæc ab Holoandro distributa) quod longissimum est, totū in digerendis & ordinandis bonorum possessionis titulis uersatur. Vt quasi hoc ipsum, quod nos iam diu monemus, ut titulos hos omnes percurratis, imperet ipse Iustinianus ac præcipiat. De Legatis, quæ futura est altera disputatio, habetis multa ex Iurisconsultis collecta, nonnulla ab Imperatoribus; quæ omnia & potestis legere, & debetis. Sed in Institutionibus uidentur illi in hac una maximè re laborasse: itaque ille titulus uobis est, quam diligentissimè uolutandus. Sed dicet aliquis, nimis multa sunt hæc, quæ tu uis a nobis præcognosci. An nescis in unica lege sæpe unum atque alterum mensem consumere doctores? nimium sanè hoc scio. Verum dum ego uos ad hanc rationem hortor, illius perturbationis uolo obliuiscī. Sat erit (quia necesse est ista audire) ut quum eos audietis, illorum more agatis. Quum priuatim uultis aliquid proficere, utimini hoc nostro: quid nostro? Imo Iustiniani. Ipse enim dum uetat, ne posteri quicquam in Iure scribant, hoc nos uult agere, ut ex his libris omnia colligamus, quæ ad omnem causarum tracta

parte quæcunque ad diiudicandum, & (ut uulgo dicunt) decidendum quamuis quæstionem afferuntur, iam ante cognita habeatis. Quanquã enim in alia multa excurrunt doctores, tamen quæ proprie ad quãuis quæstionem afferuntur, uix unquam ex aliis legibus sunt, quã quæ in iis, ordine & natura coniunctis titulis collocantur. Præterea hoc amplius habebitis, si illud diligenter feciſtis, ut multas habeatis, optimas disputãdi occasiones; sumptas illas quidem commodissime ex ipsis Iurisconsultorum tractationibus: quibus non facile alij, qui hanc rationem non norũt; uos ipsi facillime estis responsuri. Itaque hoc uobis quam maxime possum commendo, & ut hac uia utamini rogo. Qua sola potestis, si non totius Iuris ciuilis, at uestrorum studiorum artem uobis quasi quandam comparare. Atque hæc de his libris omnibus Iustiniani, quos pro lege habemus, dicta sufficiant. Si hoc unum uos admonuero, quod nec inutile erit, nec ineptũ; ut sæpe recordemini, leges omnes Pandectarum sumptas esse ex uariis Iurisconsultorum tractationibus: Itaque concisas sæpe, & mutilas esse; quas oportet bono quodam iudicio & bonis artibus instructo, crebro supplere. His de lege ac Iustiniani libris expositis, nunc ad doctorum scripta

Quin. præceptio.

ueniamus. Inter doctores qui maxime ingenij laude floruerunt; ij maxime ſtudio illo ſummaria faciendi uidentur eſſe delectati. In quo tamen ſæpe ipſi uarias ob cauſas uehementer peccarũt. Sed uideamus, quæ ſint iſta, quæ ipſi appellant ſummaria. Sunt hæc ſimilia argumentis, quæ hodie in aliquibus ueterum libris uidemus. Verũ neminem uidi ex bonis ac excellentibus ſcriptoribus, qui argumenta huiuſmodi ſuis libris præpoſuerit. Ita ut uideatur tenue hoc eſſe ac nouũ ſtudium, ante paucos annos ob ignorantiam & ingenij tenuitatem à quibuſdam excogitatum. Hoc tamen ipſum, ut longam aliquam orationẽ in breuem ſummam colligamus, unde uidentur hæc ſummaria nominata; & Rhetores & Dialectici docuerũt. Quo etiam uſi illi ſunt eleganter in orationibus, & diſputationibus ſuis: quãquam hoc, nunquam ita, ut noſtri, & ut uulgo hodie multi, uſurparunt. Noua ergo ratio eſt, ſed plane non inepta, ſi rectè tractatur. Sed in his ſæpe noſtri peccarunt, quod aliud in ſummario & legi contrarium poſuerunt: quæ (ſi uobis placet) falſa ſummaria nominabo: ſæpiſſime, quod contra ſummarij naturam longiſſimam orationem inſtituunt: quæ quidem propriè inepta ſummaria dici poſſunt. Sed ſanè, uolo id aliquot exemplis

ostendere, ne uobis fingere ista uideamur. Quorum uos similitudine multo plura quotidie reperietis. Quis legem illam, 1 quod per manus, non audiuit quotidie ad hoc citari; scilicet principale (ut ipsi loquuntur) non confirmatur ab accessorio. Quod quanquam per se est uerum, eo tamen in loco nihil minus tractatur. Ibi enim summus ille uir & excellētis ingenij Papinianus, uulgatam sententiam & per manus traditam explicat de Codicillis; quibus dari non potest hæreditas. Rationem autem tradit hanc: ut quia per testamenta codicilli uires accipiunt, & testamenta ab hæredum institutione, hoc quasi absurdum efficeretur, si codicillis hæreditates darentur; ut idem eodem respectu daret uires & acciperet. De principali autem & accessorio (ut est ea lex) plane uerbum nullum. Nanque codicilli & testamenta non comparantur ipsa per se; quo casu posset habere locum illud summarium; sed comparantur, ut ad hæreditatem relata. Itaque uis tota rationis, & explicationis Papiniani pendet ab hæreditate. In qua unica ratio est tantum, respectus uarij, nihil principale aut accessorium. Volui hoc primo loco iuuenes notare, quia regula quædam est admodum trita, & ualde decātata. Verum nemo propterea arbitretur, Bartolum

1 De iu. cod. lf.

nos & alios ueteres uehementius infectari; non enim hoc agimus: Nanque scio illos summo ingenio fuisse, ac multa uidisse, & diligentia fuisse plane maxima: sed admoneo, ut quæ illi temporum causa non potuere, nos meliori usi opportunitate ea diligenter perquiramus, atque tractemus. Nec malimus cum ullo, quantumuis magno homine peccare, quàm cum minimo præclare sentire. Quid enim esset stultius? sed alia huius generis uideamus. Est in lege illa præclara ac notissima 2 Iurisgentium, in primo summario magnum (nisi ego fallor) peccatum, in ea parte: [Secus si est innominata, nisi implemento iustæ causæ.] Est autem res hæc difficilior, in qua animis opus est attentis, & aliquo Iuris usu exercitatis. Quam si perceperitis, rem sanè elegantem, & ad multas Iuris partes utilem intelligetis. Duo sunt genera conuentionum, ut eo loco docet Vlpianus: unum nominatum, alterũ innominatum. Nominatæ omnes pariunt actiones; ex innominatis magna pars actionem non parit. Hactenus conuenit mihi præclare cum ipsis omnibus. Verum innominatas illas, quæ pariunt actionem, quæ sunt tria illa genera de quibus pertractat 3 Paulus; putant ipsi non efficere hanc actionem, nisi causa (ut ipsi dicunt) se

2 De pac.ff.

3 .l.Naturalis de præscr.uer.ff.

quuta,

quuta, aut implemento iustæ causæ. Qua in re plane ab ipsis omnibus dissentio, Baldo excepto, qui breuiter rem hanc attingit. Contractus enim do ut des, & do ut facias, sic pariunt actionem subito ac continenter, ut emptio ac locatio, quibus 4 comparantur: discrimen tantum hoc est, quod hæ nomen habent, illæ nō habēt; aliud præterea nullum. Sed dices, quid? antequam dem uis tu nasci actionem? minime uero: sed ante quam dem, dico nec esse, nec intelligi ullo modo posse, do ut des cōtractū; atqui hoc est, quod ipsi dicunt implemento iustæ causæ? uideo, sed male omnino rem explicant. Hoc enim, quod ipsi dicunt, rationem aliquam haberet; si esse un quā do ut des sine hoc implemēto posset: quin etiam nomen ipsum do ut des, declarat me implere iam atque dare. Nam si conuentio fiat cū aliquo, ut ego dem ac tu des; nuda erit hæc conuentio huius contractus faciendi; non erit do ut des contractus: non magis, quam si de uendendo conueniremus, nec aliud amplius ageremus; conuentio hæc esset simplex, non uenditio. Ergo cum do ut des sine hoc implemento (quod ipsi dicunt) intelligi non possit; plane nihil est, quod ipsi de hoc ipso implemento iustæ causæ tradiderunt. At uero nemo, qui legem illam peruolu-

4 vide le. naturalis antecitatā.

tauit, neſcit; latiſſimè hoc illorum peccatum patere, & quaſi totam illam elegantiſſimam legem, quæ fons & caput eſt omnium conuentionum, perturbare. I ergo, & hanc diligentiam accurate ſingulas res, & ſingula uocabula examinandi, tenuem dicito, & grammaticis tantum aptam. Nos uero grammaticos nominent, quantum uolent; erimus ſanè literati: hi non grammatici, illiterati. Et quæſo quam artem poterunt hi ſine literis intelligere? quum ſciamus præclaras omnes artes literis eſſe, & elegantia quadam ſermonis à ſummis uiris comprehenſas. Poſſem alia multa huiuſmodi peccata referre ex infinitis falſis ſummariis (iterandum enim hoc eſt uocabulũ, & hæc eſt deuoranda moleſtia) quale eſt in primo ſummario legis illius difficilimæ 5 Gallus, dum ait: conſilium eſſe de inſtituendis poſthumis nepotibus, qui aliàs non poterant inſtitui; at uero nos aperte priore oratione docuimus formulam illã eſſe, & multò ante Gallum licuiſſe, poſthumos inſtituere, eiſque ſecundos hæredes dare, ut in illa perilluſtri Curiana cauſa clare demonſtratur. Sũt alia præterea multa ex his quæ falſa diximus, quæ relinquenda nobis ſunt, ne in re nimium tenui ac ſubtili diutius adhæreſcat oratio. Sed dicendum aliquid omnino eſt de his quæ proprie

5 De lib. & poſth.

inepta nominauimus. Quæ sane non temere, nec inconsiderate inepta dixi; sed ita hoc sum in re ista usus uocabulo, ut late apud 6. Ciceronẽ Crassus de eo tractat; ipsum accommodans ad personas. Inepta ergo summaria dico illa maximè esse, non propter falsitatem, sed quæ lege sunt aut paragrapho longiora (utamur hoc quoque græco uocabulo) qualia infinita possem numerare. A quo etiam uitio non absunt illa, quæ totidem uerbis, nisi quod admodum inquinate, eandem legis sententiam repetunt: quæ sunt infinitate illa infinitiora. Hoc potest aliquid esse ineptius? potest aliquid magis esse præter naturam & rationem summarij? quam ut par, atque adeo maior sit summa, quam illud cuius est summa? obsecro uos omnes, atque obtestor, ut hoc intueri, & ut animum ad hæc uelitis referre: uos Patres oro, uos iuuenes hortor, ne mei ingenij tenuitatem aut ætatem consideretis; sed rem ipsam, & simplicem nudamque ueritatem spectate. Mihi enim nihil uestra Patres gratia iucundius, nihil uestra iuuenes utilitate antiquius esse quicquam potest. Quare ut sileam, quod maximè prædicandum & decantandum uidetur, nulla unquã gratia, aut ulla mea iucunditate adducar. Ego ne iuuenes non proferam, quæ uobis utilia esse

6 Li 11 de ora. in prin.

intellexero? Ego quæ inania uideo esse, & in quibus uideo uos ætatem uestram terere non indicabo? nunquam sane tale quicquam committam. Atqui ego, qui uideor fortasse hæc aliquibus cõcitate & turbulenter agere, ita sum turbæ inimicus, ut hos ipsos, Bartolum, Salycetum, Alexandrum, a quibus ista manarunt, dilandem: quorum libris, quatenus cum illa Iustiniani lege consentiunt, ualde iudico esse incumbendũ. Verum relictis summariis, alia tractemus horum scriptis magis propria, & per omnia fusa: quæ quidem breuiter ac modeste attingemus. Et sane nollem quenquam putare, aliquid nobis esse antiquius moderatione animi atque modestia, nil est etenim: sed cum uehementius aliquando agimus, non hoc uitio rapimur, sed studio indicandæ aliquibus, & omnino asserendæ ueritatis. In multas huiusmodi res, de quibus nunc dicere constitui, crebro mihi intuenti non semel contigit annotare; nostros homines in plærosq; errores, qui perturbationem hanc, quam lamentamur, effecerunt; potius casu, quam ullo consilio aut iudicio incidisse. Quod sane eos quam maxime excusat: quippe quæ nec opinantibus accideruntur. Nanque uix unam atque alteram leuissimam rationem afferunt; & tamen idipsum

uulgo omnes sequuntur. Ita magnum malum est, authorem aliquem habere erroris, & tanquã exemplo peccare. Huiusmodi illud est uulgo iactatum, tanquam a 1 Iustiniano profectum; ut erubescamus sine lege loqui. Quod sanè, si illi ad hoc referrent, ut nihil esset in ciuilibus causis, æquitate ulla ac clementia sine lege diiudicandum; uerè illi quidem, & ad illam Iustiniani sententiam aptè loquerentur: sed cum uolunt, nullam omnino rem, & nullum uerbũ sine lege proferri; quis hoc poterit ferre? aut quid aptius inueniri potest, ut nos philosophis, & aliis qui hoc ius non profitentur deridendos præbeamus? quũ ita uidemur in legum scriptura hærere, ut nullã intelligamus esse a summo Deo legem mentibus nostris impressam? An nos soli sumus communis sensus expertes, ut nil sine lege, nil per nos ipsos commodè loqui ualeamus? quid ergo mihi obiicis, cum rem tracto peruulgatam, quod legem non afferam? an hæc Iuris scientia uult ipsa sola sciri? aliis artibus impeditur? sed ineptum est diutius in re ad intelligendum perfacili hærere. Verum in ea maxima pars doctorum peccat: & sæpe ualde torquentur, ne uideatur aliquid ipsis defuisse, nisi hasce non necessarias leges attulerunt. Verum enim uero quid dicam, cum in re

1 Au. de tri. & semiss.

aliqua huiusmodi manifesta ac nota nō unam tā-
tum legem afferunt, sed sæpe tres ac quatuor?
quid quæso possum aliud dicere, quam illos quid
scriberent non consideraſſe, & patientia abuti nō
stra. Quod quidem uitium, ut quod scribimus
non consideremus; maximum quidem est, si 2
2 Lib. 11. de ora. Ciceroni perfecto dicendi magistro fidem illam
adhibemus. Sed sane (ut uerum dicam) mini-
mum inter alios hoc uitio laborat Bartolus; estq;
hoc nouorum quorūdam potius peccatum, quā
uetustiorum. Quare cauendum nobis magis est,
ac longius refugiendum. Itaque censeo iuuenes,
ut uobiscum tāquam Pædagogi munere fungar,
(nil enim uereor, modo uobis possim commoda
re) censeo igitur, dum Bartolum, Iasonem, aut
alium in manus sumitis, ut sic in eo uersemini. 3
3 Quomō uersandū in doctoribus. Primum ut totam illam sententiam Bartoli, quā
multis perfecte intelligere, percurratis: idque at-
tente ac diligenter facite. Nec tamen curetis pri-
ma hac lectione leges illas quas citat uidere, sic
enim breui rudem quandam cognitionem habe-
bitis Bartoli sententiæ, quam deinceps semel at-
que iterum repetentes, tum leges illas annotato-
te, ac legitote, quas ad rem facere intelligetis.
Sane hac uia, & triplici lectione, clare & aperte
intelligetis, quæ sit Bartoli & cuiusuis doctoris

sententia. Nec uero miretur aliquis triplicem illã lectionem; & putet, propterea maius quoddam tempus consumi, non enim ita est: quin illi, qui primo quasi impetu, & Bartoli sententiam uolũt intelligere, & leges omnes uidere, longe plus tẽporis ponũt in una lectione, quam uos in triplici ponetis: & cum omnia percurrerunt, plane nihil intelligunt. Causa hæc est: quia leges omnes uolunt subito uidere; quas non facile intelligunt, quo referantur: aut si quando intelligunt, facillime obliuiscuntur propositi, quod non habent penitus in mentibus infixum. Vos autem prima illa lectione hoc ipsum propositum tenebitis, quod alia omnia uobis efficiet quam facillima. Video me iam diu pædagogũ agere, & tenuius hæc subtiliusque tractare, quam hoc ipsum dicẽdi munus, quo defungor pati uideatur. Sed maior mihi cura est iuuenes uestræ utilitatis, quã ullius meæ ostentationis. Hoc autem quod modo dixi, expertus, scio esse utilissimum; contigitque mihi sæpe hac uia ut una hora plus me profeciſſe sentirem, quã alias tribus. Hoc ergo arripite, quod utilissimũ uestris omnibus studiis esse sentietis. Verũ est alia quoq; perturbatio ĩ horũ scriptis, quæ ualde nos omnes qui hæc tractamus cõmouet: & sane quo meliore ingenio sunt eo magis abhorrẽt. Est aũt

ut infinitas quæstiones temerè profundãt, minima sæpe occasione, aliquãdo etiã nulla. In quo tamẽ uitio multo grauius peccant noui scriptores, ut Decius, & Iason, quã alij uetustiores. Quid enim attinet in le. 1. de off. ei. cu. ma. est iu. ff. tam multa de titulis Principum coniicere? quid tam multa de argumento à contrario sensu effutire? quod quidem ut ab ipsis tractatur, & intelligi nullomodo potest, & idipsum quod intelligitur sine ullo est usu: ut autem debet intelligi, & facile, & magno cũ usu intelligitur. Sed de hoc alias: id enim tantum nunc agimus, & in hanc Legem, & in alias omnes quas nobiles & perilluſtres appellãt, eos molem quasi quandam quæstionum sine ullo iudicio coniecisse. Quid de rubrica de acq. & am. poss. ff. dicam? quid facit ad illum titulum quæ falsò ab omnibus de relatis traduntur? quid illa disputatio longissima contrariorum? atqui Accursius moderatè fecit, qui uerbum tantum unum eius rei apposuit: ij, omnia quæ potuerũt ea de re conquirere, effuderunt. Hinc nata sunt monstra illa repetitionum, quibus nihil inordinatius, nihil fingi potuit perturbatius. Et sanè Bartolus, ac ueteres rarissimè in hoc flagitium incideruntt: propria sunt hæc peccata nouorum. Qui, quum bene rem suam familiarem gubernarent,

rent, & ordine in suis consiliis uterentur; putarũt præclara posse sua scripta posteris uideri, si sine ullo ordine, sine arte, sine uenustate tractarentur. O rem perridiculam. Quod cum dico, timeo ne quis me exaudiat, qui hoc nõ ametIus ac amplectatur: ne ille nos derideat, & putet his ineptiis nostram omnem doctrinam contineri; sed non est ita: quorundam sunt hæc uitia nouorum hominum; reliqua elegantissima sunt, & plenissima uenustatis. Verum oportebat sane eos homines illud Horatij præceptum, excellentis sine dubio ingenij uiri, recordari: ut quod in agendo sequebantur, in scribendo quoque usurparent.

Ordinis hæc uirtus erit, & uenus: aut ego fallor:
Vt iam nunc dicat: iam nunc debentia dici
Plæraq; differat: & præsens in tempus omittat.

Debet enim quiuis non malus scriptor, non solũ non conquirere quæ aliena sunt, & ad rem minime faciunt; uerum in iis quæ sunt illius disputationis propria, hoc debet ordine uti; ut quæ debent dici sæpe differat, & maiorem quãdã opportunitatem aucupetur. O præclari hominis eruditissimum, ac aureum præceptum: o præstantem ordinis magistrum Horatium. Nanque quod proprie in his, quæ scriptis, atque literis cõtinentur dixit Horatius; possumus commodissime ad

res ipsas,& ad omnia quæ à nobis efficiũtur transferre. Quæso,quis rem ullam commodè tractabit,aut ex animo finiet, qui hoc non obseruabit? ut hoc nunc agat, alterum deinceps; non illud quidem, quod ei primum in animum uenit ut ageret, sed quod intelliget esse operi aptissimũ. Sermo autem familiaris, & hæc nostra consuetudo qua urbani nominamur,& quæ efficit,ut à rusticis differamus, qua quæso alia re continetur, quam hoc ordine?

Vt iam nunc dicat: iam uunc debentia dici
Plæraq; differat:

Itaq; Decius, ac Iason, quos scimus urbanos & elegantes homines fuisse; si subtile illud suum iudicium,quo in aliis rebus, & sermonibus utebantur, ad suam artem,& ad sua scripta contulissent: proculdubio meliora multo, ac limatiora illorũ scripta, quam nunc sunt, haberemus. De Iasone autem audiui, inter suæ ætatis homines fuisse illum unum iudicatum exponendis Principum mandatis aptissimum. Quod quidem ut illi summæ laudi est, ita perlibenter à nobis prædicatur (ut quiuis intelligãt non inuidere nos his hominibus, sed studio ueritatis dicere, quæcunque dicimus) uerum exponere commodè legationem nemo potest, qui nõ aliqua parte præceptionem

illam obſeruet. Ac ſane uideo propterea illum in hac re præclarè eſſe uerſatum, quia in ea præſtans ſuum ingeniũ & naturam ſequebatur: quæ, niſi corrumpitur prauis male traditæ artis præceptionibus, ſolet ſæpe optima eſſe magiſtra ueritatis. At in ſua ciuili diſciplina ſic agebat; quia ſic didicerat à malis præceptoribus eſſe in ea arte agendum; & ſic ipſe putabat. Itaque quod bonum in eo erat & excellens, erat ab optima illius natura & excellenti ingenio; quod erat uitij, erat ab arte corrupta. Nullus enim error difficilius ex animis hominũ eripitur, quàm qui ratione fieri exiſtimatur. Illud enim in quo quis putat ſe peccare, facile relinquit: illud difficillimè, quum putat ſe præclarè ſentire. Propterea fuit mihi iuuenes magis apud uos laborandũ, quod bona pars horum quæ reprehendimus, ita inieterauerunt, ut pene artis loco habeantur: et Iuris proprium exiſtimatur, ut ſine ordine, & ſine ulla uenuſtate tradatur. Ego uero nõ Iuris dico eſſe hoc uitiũ, ſed doctorum Iuris, & artificum: cum quibus uolo uos quidem uerſari; non enim ſuadeo, ut Alexandri, Iaſonis, Decij ſcripta non legatis; ſed moneo, ut artificioſè ueſtra ſtudia tractetis. Vtetur autem hac arte, ut quiſque ingenio, & eruditione, magis ualebit. Quod ſi nulla in re ſentiet his

noſtris admonitionibus adiuuari; cenſeo, ut in his doctorum ſcriptis, ut poteſt, & ut illi commodius eſt, uerſetur. Video enim latini ſermonis, & antiquitatis, ei eſſe perneceſſariam cognitionem, qui uult hac noſtra ratione uti: quas res ſi quis non ita tenet, ut his noſtris poſſit iuuari; uidete quàm ſum in hac re æquo animo, & quàm nolo homines nihil agere, & deſidia conſumi: itero illud idem, ut clarius intelligatur: iudico huic eſſe utilius, totos dies in una perturbata quæſtione conſumere, quàm deſperatione libros abiicere, & plane nihil agere. Nanque ſic agendo, ſi non arte, at uſu, aliquid aliquando efficiet: nihil agẽdo nihil unquã efficiet. Sed ego, dũ hæc diſputo iuuenes, cum his loquor, qui & ingenio bono, & bonis artibus mediocriter ſunt inſtructi; quales ſcio eſſe ueſtrum maximam partem. Cum his ergo fuit omnis mea ſuperior oratio, ad quos hæc quoq; referimus, quæ reſtant breuiter exponenda. Diximus de Iuſtiniani lege multa, plura de doctorum ſcriptis: de ſummariis, & de toto genere ſcriptorum; & in his, qua uia bene & utiliter uerſandũ eſſe arbitremur, explicauimus. Quæ ſane omnia eò pertinent, ut in omni genere ciuilium ſcriptorum cõmodè, & quodam quaſi artificio (quod ante ſine ullo fiebat) uerſemur;

reſtat, ut tantiſper de diſceptationibus, quæ magnæ ſunt inter huius diſciplinæ profeſſores, diſſeramus. Spero autem hanc, quam de tota hac re breuem habituri ſumus orationem, nec inutilem uobis, nec iniucundam futuram. Diu enim ſumus in ea arte uerſati, quæ ab hoc inuicem diſſerendi & diſputandi munere nomen accepit. Itaque quicquid in hac re dicemus, non temerè, & ſine ratione effundemus: uerum acceptis huius rei præceptis ex ea arte, quam modo nominauimus, id totum, quod de his diſputationibus dicturi ſumus, diligẽter & accuratè trademus. Ex huius artis ignoratione manarũt oĩa, quæ in hac re doctores peccarunt. Nam cum nulla alia ſit diſſerendi ars, quàm illa una de qua loquimur dialectica; hanc uero noſtri abhorrerent: factum eſt, ut ſine arte, ingenij tãtum facultate diſputarent. Quod cum fieret, euenit, quod erat neceſſariũ; ut ſunt uaria hominum ingenia: alia ad celeriter aliquid intelligendum prompta, alia lenta atque tarda; alia diſſoluta, & quanquam non admodũ tarda, tamen ab omni arte aliena; alia uero ſponte ſua artificium amplectentia: euenit (inquam) ut tot eſſent diſputandi inter ipſos rationes, quot erant ingeniorum genera, & explicandi ſe, ac intelligendi uiæ. Qui tamen uulgo hoc omnes ſe

quuntur, putantque proprium esse in Iure disputandi, ut qui argumentatur ac disserit, etiam ad ea respondeat, quæ ab eo qui posuit obiiciuntur: quo nihil fingi potuit alienius, & magis dissitum ab omni omnino ratione disputandi; quid enim potest esse perturbatius? quam ut ille qui ad respondendum denuntiauit se esse paratum; ut is alterum urgeat, ac cogat respondere. Cui possum percommodè dicere: quid me urges? tu quæcũque à me afferuntur, ad ea debes respondere? tu me ad agendum uocasti, te dixisti ad respondendum paratũ? quid ergo nunc ista peruertis? quid metuis? quod tuas partes mihi tribuis, meas tibi assumis? quibus sanè uocibus oporteret istum disputandi imperitum, non solum refutatum, sed illusum quoque obmutescere. Verum res ista tota huiusmodi est, & est ita absurdus error, ut nulla egeat oratione grauiore. Vt enim sæpe à præceptore meo MARIANO SOCINO audiui: cuius sanè uiri, uel hæc sola recordatio magno animum meum luctu perculit, & incredibili mœrore mentem perturbauit: dum recordor hunc nobis iuuenes magno nostro detrimento ablatũ; qui unus docte & artificiosè multa, omnia acutissimè disserebat. Nam quod ad eum attinet, perfunctum illum esse uideo omnibus honorũ gra-

dibus, quos puto illum unquam optasse: uideo affecta iam ætate, & suo quasi tempore obiisse, & (quod maximum est) summum omnibus Iuris studiosis sui desiderium reliquisse. Nostrũ ergo totum est malum, illius nullum. Tu uero ito fælix excellentis uiri anima, & illo beatorum æuo (quod non dubito te diu expetiuisse) cum maiore Mariano, Patruo Bartolomeo, filio Alexandro perfruere. Verum oportet nos iuuenes huius tam clari, & illustris ad laudem uiri sæpe memoriam animo repetere, & præcepta recordari. In his erat illud, quod cœperam dicere: & lachrymis mœroreq; oppressus absoluere nequiui, quũ dicebat: primo suorum studiorum tempore non fuisse hanc consuetudinem: esseque hoc inductũ à nescio quibus parum doctis, & minus acutis (ut ipse dicebat) hominibus; ut rationem hanc utrinque differendi & respondendi, consectarentur: quam sanè totam ille (ut erat acutissimi uir ingenij, & natura artificij amantissimus) reiiciebat ac abhorrebat. Quis ergo in re ista amplius hærebit? quam uidet nouam rem esse, & sine ulla ratione à tardis hominibus inuentam; omni præterea artificio contrariã, & Mariani testimonio refutatã? Equidẽ neminẽ arbitror esse, qui mõ satis sanus sit; qui rẽ quã agit nolit efficere quãfacillimã: quẽ

si sibi ipsi difficultates obiicientē uideremus, stultissimū omnes & amentē esse clamaremus. Quid ergo? nos soli in nostra arte hoc non uidebimus? quod si faber, si sutor in sua non uideret rideremus? hoc autem ipsum, quod ita facile est ad reprehendendum, suadet ille, qui ita suadet esse disputandum, ut utrinque differatur: quod nil aliud est, quam ipsum sibi periculum creare, & se suo gladio iugulare. Nam cum ita sunt distinctæ partes & distributæ, ut ille qui posuit respondeat, alter argumentetur atque agat; & facilior multo est cuiusque ratio, cum unum tantum cuique est agendum; & præterea elici aliquid ex hac disputatione, & uerum potest aliquando inueniri: illa perturbatio, potius quam disputatio, & difficillima est, & ad omnem plane rem quæ doctrina continetur ineptissima: nisi cui magnum hoc uidetur, quod ingentes excitat clamores, & quod uulgo eo magis quæque probantur, quo sciuntur minus. Has nisi quis numerat, nullas uideo quas possit utilitates numerare. Ergo hac reiecta, artificiosam illam, quam dixi disputandi rationem sequamur. Verum nolo ita astrictos nostros, ut dialecticos esse; ut contortis tantum enthymematis, & certis syllogismis utātur: sed licebit nobis sæpe latius, explicandæ nostræ sententiæ, &

legis

legis alicuius causa, uagari. Sic enim ars hæc & doctrina Iuris postulat, non tam ad umbratiles quasdam disputationes in scholis inuenta, quàm ad forenses apta concertationes debet ergo nostra disputatio sæpe oratorum actionibus similis potius esse, quàm arti omnino astrictæ; in qua philosophorum proprie disputations uersantur. Itaque licebit sæpe differenti latius aliquanto uagari; licebit etiam alteri aliquid aliquando obiicere, cum quo uideatur illius argumentatio magna parte repugnare: sed ut eum urgeat, & ipse quasi argumentari uideatur, ineptissimum est, nec debet ullo modo licere. Verum est aliud in disputando peccatum: cuius cum diligenter authorem perquisiuerim, nunquam potui inuenire, quis fuit istius author peccati. Est autem uulgo receptum, & omnium sermone iactatum, ut cum de una communi (sic enim ipsi loquuntur) disputamus; alias omnes ponamus. Rationem qua inducti uulgo hoc omnes approbarunt, sanè uideo: authorem peccati non uideo: et de ratione postea, de authore nunc pauca dicamus. Primum Bartolus, cui merito suo plurimum omnes debemus, non fuit ipse tam stultæ rei inuentor. Ipse enim sæpe contra hanc ipsorum regulam facit, etiam cum esset commodius, ut eam aliqua

parte conſeruaret. Præclarum eſt huiuſce rei teſtimonium, cum ille de coniungenda cum interdictis rei uendicatione diſputat; 1 ad quã erat illud neceſſarium, an aliquãdo poſſint duæ aliquæ actiones coniungi. Itaque hoc primum, quanquam alibi de eo latius 2 explicauerat, diſputauit. Tractat autem ita illud, ut ad Cyni quoque opinionem, non ad eam tantum, quæ tum erat communis, diſputationem ſuam accommodet. Quinam ergo ſunt hi, qui nos iſta ſua regula uolunt irretitos teneri, quam totam Bartolus ſpreuit atque repudiauit? Sed bonam (dicet aliquis) habet rationem, illam nimirum, quia niſi hoc ita tueremur, ſemper in diſputando fluctuaremus; & cuiuis liceret de omnibus omnino rebus dubitare. Sanè hoc ipſum optimè intelligo; nec ita ſum temerarius, ut quod ad reprehendendũ ſufficio, id non intelligam. Sed percontor; cur idẽ philoſophi non faciunt? cur medici? cur Theologi non faciunt? an in illis quoque artibus non multæ ſunt, & uariæ ſententiæ? an illi non hoc quoque curant, ut in ſua doctrina nil perturbate tractetur? cur illi hoc inuento, & tanquam remedio non utuntur, noſtri utuntur? an in diſputandi ratione plus noſtri uiderunt, quam philoſophi? quàm medici? quàm Theologi? ſanè nulla eſt ha

1 l. natura liter. §. nihil cõe n u. 11.

2 l. edita n. 1 .de edẽ. C.

rum cauſarum: ſed illi cum ſcirent diſputare, legem illam, non tantum non neceſſariam, uerũ etiam malam eſſe uiderunt. Nãque ut ſit aliquod incommodum illud, ut reperiatur aliquis ita ſtultus, qui id neget quod ueriſſimum eſt, & de eo uelit omnino diſceptari: quæſo uos, nonne maius malum eſt, ut cogamur quod falſum eſt, ut uerum ponere, (quod ſæpiſſime nobis euenit in tãta quæſtionum coniunctione) quam ut de uero diſceptemus? quod ſi tale eſt, ut legibus aperte tractetur, conſiſtendum eſt; quia hæ ſunt, tanquam huius artis principia: ſin minus, bonis eſt ille rationibus conuincendus, non communibus opinionibus irretiendus. longe enim maius malum eſt, ut falſum prouero ſumatur; quàm ut in uero dubitetur. In uero enim hærentes elicie mus aliquid: falſis poſitis, nihil unquam recte di ſputabimus. Deficeret me uox fortaſſe, ſi pro ueritate contra falſitatem uellem grauiter & oratoriè dicere; materia dicendi nunquam profecto deficeret. Verum non id agimus, ut grandes in dicendo uideamur, ſed ut quietè uobis & ſedatè rem plane ueram ſuadeamus; & ipſam ueritatem defendamus: uos uero re tota bene conſiderata, eam iudicate. Diximus multa iuuenes, ſed ea ratione diximus, ut poſſint quam breuiſſimè

comprehendi. Duo enim sunt omnino nostræ orationis capita: unum de libris, quibus Ius ciuile continetur; alterum de nostra ratione disputãdi. Quod ad libros attinet; docuimus, qua arte, & quibus quasi uiis sit in illa Iustiniani lege uersandum: in qua sane uolo uobis nostras illas admonitiones maximæ curæ esse, quæ sæpe omnes possunt uobis ad rem unam seruire. In scriptis doctorum, aliquid de summariis; pluribus quã alius, quo pacto uobis sunt illorum omnia scripta tractanda, explicauimus. Et sane illud quam maximè admonemus, ne primo quasi impetu leges omnes, quas citãt doctores uideatis; sed hoc maximè conamini, ut illius doctoris, quem legitis, mentem & disputationis propositum intelligatis. Itero: propositum intelligite; intellectũ omnia uobis efficiet facilia, difficillima neglectũ: an uideor uobis malitiosè de doctoribus loqui, qui hoc unum suadeo ut eos intelligatis? sed duo illa peccata disputandi, quæ nos grauiter reprehendimus, mouebunt aliquos, ut male de doctoribus loquuti esse uideamur, quorum ego peccatorum nullum ueterem uideo esse authorem, nouos quosdã esse uideo, & eos ignotos authores. De doctoribus autem ipsis, quanquam multa sæpe in tota oratione dixi, tamen uolo nunc sentẽ-

tiam uobis meam plane & aperte explicare. Ego nonnullorum ingenia Bartoli, Baldi, Castrensis, Cumani, Socinorum, dilaudo: horum, & aliorum omnium diligentiam admiror: sed ut nō dicam multa his defuisse, quæ erant perneccssaria, nemo a me unquam impetrabit. Ego ne bene latine loqui Bartolum dicam? nouisse antiquitatem? quæ tamen perneccssaria est cuius homini docto, præsertim Iurisconsulto: nisi uolumus semper pueri æstimari. Ego ne hunc, aut alium quempiam ex his quos nominaui, dicam artem sciisse docendi, & sua monumentis tradendi? qui hoc uolet dicere, dicat quantum uolet, me quidem ridente, nec tamen repugnante: ego uero nunquam committam, ut ita alicui uidear insanire, ut hic mihi uideatur. Quid ergo, dices, relinquis doctoribus, si hæc aufers? magna; ingenium, & Iuris usum: quæ duæ res sæpe illos inducebant, ut sine arte multa artificiose tractarent. Quod in Bar. & Castrensi sæpe annotaui; in aliis nō ita frequenter. Quid ergo? reprehendenda nè hæc uitia grauiter, & tanquam exprobranda eis esse censes? minime uero: sed nec alterum, ut censeam laudanda; sunt enim uitia. Sed cum uideā, eos non tam culpa peccasse sua, quam temporū; do illis iustam, ac debitam ueniam libentissime.

Vt enim ille acutissimus poeta dixit: qui
Nec ueniã antiquis, sed honorẽ & præmia poscit,
Vt nihil anteferat, nihil illis comparet: errat:
sic qui bonis oĩno uiris libenter ignoscit, & facit humaniter, & laudans quæ in eis uere laudãda esse cognoscit, facit omnino liberaliter. Deus bone si nunc Bartolus uiueret, quo studio non solum sanitatem (ut nominat Cicero) orationis, sed elegantiam quoq; omnem sectaretur: qui in ea temporis illius ignorantia linguã etiam Hebræam didicit: certè discere tẽtauit. Qua diligẽtia antiquitatem uniuersam peruestigasset: quo studio Ius hoc ciuile cum uera Aristotelis & Platonis philosophia cõparasset? erat enim illi plane summum ingenium, discendi maxima cupiditas, cum summo otio: tempora tantum bona & exculta defuerunt. Equidẽ sæpe hæc cogitans uideor Bartolũ uidere, non solum hortantem ac monentem, sed nostram negligentiã grauiter increpãtem. Quid in isto uestro otio iuuenes desidetis? an in hoc otio putatis nõ magnũ inesse negotiũ? si doctrina ingenium, si animũ bonis moribus, ut debetis, sic excolitis? o fœlicem atq; beatã istã uestrã ætatem si ea bene utimini: sanè, si mihi illud opportunitas mei tẽporis cõcessisset; ut fuisset à quo bene latinè didicissem, fuissent boni philosophi, & omnino

ut ſtudia oĩa politioris humanitatis uiguiſſent; certè quidem aut perparũ, aut nihil omnino in meis ſcriptis deſideraretur. Vos iſta negligitis? uos contemnitis? ſanè ignoratis, quæ ſit uis artis; & quãtũ lumen ingenio addat ſermonis elegãtia. In hanc ergo & alias bonarum rerum diſciplinas incumbite, meliore, quã nos, uſi opportunitate. Hæc monentem Bartolũ; eadem ferè quæ refert de Sulpitio 3 Cicero, uideor mihi ſæpe uidere: tantũ excellenti hominis ingenio tribuo, tantũ illius boni tatem amplector: quã ſanè ſimpliciter mihi ille ui detur omnino declarauiſſe: in illa Petri Aſſiſii præceptoris ſui 4 cõmendatione fieri enim nõ poteſt, ut aliis ingenio præſtẽt niſi qui bonitate quadam ſunt ſingulari. Quã præcipue gratis animis oſtendunt aduerſus illos, à quibus beneficiis affectos ſe eſſe cognoſcunt: Vos ergo oro iuuenes atque obteſtor; ſiue hæc utilia uobis uidentur, ſiue ſecus: beneuolentiã nobis ueſtrã, quã nos uobis tribuimus, exhibete: quod potuimus benignè & amãter dedimus, plura daturi ſi potuiſſemus: honorem doctoribus exhibuimus, quẽ ratio atq; ueritas poſtulabat: beneuolentiam omnino præſtitimus. Ergo aut ueſtra beneuolentia digni debemus uideri, aut omnino maleuolẽtia ĩdigni: quorum alterũ erit nobis ſanè iucũdiſſimũ, alterũ nõ ingratum.

3 in Bruto pa. 25.

4 l. quidã cũ filiũ de uer. ob. ff. n. 8

FINIS.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ
ROMA
VITTORIO EMANUELE

DVAS HASCE CIVILES ORATIONES
MI. THO. TAXAQVETII HISPANI, VT PIE, DOCTE, ELEGANTERQVE CONFECTAS, APPROBAMVS, COMMENDAMVSQVE, ET VT LEGANT STVDIOSIS OMNIBVS SVADEMVS.
DAT. BONONIAE III NO. NOVEMB. M. D. L. V I.

FRA. EVSTACHIVS LOCATELLVS
ORD. PRAED.
NICOLAVS BARGILESIVS
INQVISITORES BONONIENSES

Si forte optime lector, in elementis, nec non in distinctionibus alicubi ut sæpe fit, offenderis, quoniam hi errores excusabiles sunt, ignoscas uelim: cæteros autem, quos in hoc nostro opere pro uiribus nostris adnotare potuimus, ut moris est, hic apposuimus.

ERRATA NONNVLLA.

Pagina	9.	li.	15	lege eruditione
Pa.	13.	li.	1.	in nonnullis deest fin fuerit
Pa.	17.	li.	15	in nonnullis lege primum
Pa.	18.	li.	10	lege fuit
Pa.	19	li.	8	lege uobis
Pa.	27	li.	16	lege quid
Pa.	28			in citatione quæ est nu. 8 aufer ? & lege autem
Pa.	29	li.	13	lege generalia
Pa.	30	li.		penul. lege sumptum.
Pa.	46	li.	14	lege peccatum

INDEX RERVM MAXIME NOTANDARUM, quæ in his orationibus continentur: in quo scito p. significare paginæ principium, m. medium, f. finem.

Leges XII tabularum plenæ erant æquitatis, non summi iuris. pa. 12 in m.

De flauio dubitatur ex Cicerone, fuerit ne scriba, pa. 12 in f.

Veteres Iurisconsulti æquitatem aliquando contra Iuris subtilitatem defenderunt pa. 13 in f.

Prætor non potest addere seueritatem Iuri ciuili pa. 14 in m.

Iustinianus XII tabu. æquitatem noluit reuocare pa. 14 in f.

Vnde natæ sint communes opiniones pa. 17 in m.

Quales uoluerit esse Iustinianus eos, qui ad disciplinam ciuilem accederent pa. 17 in f.

Quam rationem sequatur Accur. pa. 18. in p.

Qui uir fuit Bartolus pa. 18 in m.

Tria præcipuè esse necessaria Iuris studioso pa. 19 in m.

Vide autem quomodo hæc tria sint tenenda pa. 19 in f.

Trebatij imitatione studet artem inueniendi, & tractandi argumenta, studiosè esse amplectandam pa. 21 in m.

Vide aptam comparationem eorum, qui ab studiis humanitatis abhorrent, & qui non abhorrent; cum his qui per montes iter faciunt pa. 21 in f.

Quibus moribus deceat esse Iurisstudiosum pa. 22 in m.

Præceptores mei Ma. Socinus, Armius, Angelellus, Paleotus cõmendantur pa. 23 ad f.

Illud, expollicitatione, quam quis apud Rempu. fecit l. 9. de pollicita. ff. explicatur pa. 25 ad f.

Eleganter ac uerè ex M. Tullij de Gallo Aquilio testimonio multa peccata reprehenduntur pa. 27 ad f.

Doctè etiam ac nouè explicatur illud de posthumis, nec lege lata, nec authoritate Iurisconsulti induxisse Aquilium; sed for-

mulam protuliſſe.pa.28 ad f.
Vide ueterum Romanorum conſuetudinem edictorũ latiſsimè expoſitã:& quomodo ab his interdicta manarũt.pa.2 in m.
Qualia fuerint uetera & tranſlatitia edicta pa.30 in p.
Ex quibus potes bene tueri Caſtrenſem à reprehenſione Decij in Rn.qui admit.C.
Digreſsio elegans in philoſophos to.pa.32.
Regula correlatiuorũ(ut uulgo dicũt)refutatur pa.33 et to.pa.34
Lex autem v.de reſ.uen.ff.occaſione uere declaratur ead.pa.34.
Elegans declaratio argumenti à ſimilitudine, & cur eo non uterẽtur ueteres Iureconſulti pa.36 ad m.
Quæ tria maximè præſtanda ſint a Iureconſultis.pa.37.in f.
Paraphraſi quadam declaratur § ſi quid autem,& §, contrarium de ue.in.enu.C.pa.45 ad f.
Agrippa,& alij tanquam humani ingenij uituperatores grauiter reprehenduntur.to.pa.46
Tres præceptiones eliciendi ſententiam ex aliqua difficili lege annotantur,prima,& ſecunda,pa.48.tertia pa.49.
Legem more de Iuriſdic.om.iu.explicari per legem cum prætor de iud.ff.indicatur.pa.49.in m.
Non ſtatim eſſe currendum ad gloſſas pa.49
Quarta præceptio utiliſsima,pertinens ad lectiones (quas uocãt) ordinarias pa.50 in m.
Quos titulos conueniant hoc anno præcognoſcere pa.50 ad f.
Lexicon Iuris,& Accurſium multis locis eſſe utiles ad illam noſtram rationem pa.52 ad m.
Vide hac ratione uſum eſſe Accurſium.ead.pa.
Deinceps quæ utilitates ex illa ſtudi,ratione conſequantur.
Quinta præceptio pertinens ad illas tres antepoſitas adiungitur pa.53 ad f.
Qui doctores fecerint ſummaria pa.54 in p.
Quæ ſint hæc,quæ dicũtur ſumaria elegãter explicatur to.pa.54
Summarium l.quod permanus de iu.co.ff.Bona ratione reprehenditur,& qualé ſit uerum ſummarium ſignificatur to.pa.55.

Primum summarium l. Iurisgentium de pac. ff. acutè reprehenditur pa. 56 & 57.
Occasione autẽ lex Naturalis de pres. uer. ff. multis locis explicatur iisdem pp.
Digreditur in uituperatores studiosorum artium humanitatis pa. 58 ad m.
Primum summarium l. Gallus de lib. & posth. breuiter reprehẽditur pa. 58.
Quæ sint propridinepta summaria pa. 59.
Modestè se excusat Taxaquetius pa. 60 in m.
Au. de Trien. & sem. §. considerandus uere declaratur pa. 61
Vtilissima præceptio, qno modo uersandũ sit in doctoribus pa. 62 ad m. & 63.
Confusio quæstionum reprehenditur pa. 64.
Vnde natæ repetitiones pa. 64 ad f.
Lepide & uere dictum, non eundem ordinem seruasse doctores in gubernanda re sua familiari, quem in scribendo seruarunt pa. 65 in p.
Horatij locus de ordine inducitur, ex quo deinceps eleganter ad Thesem de ordine excurritur pa. 65 & 66.
Iason laudatur ut qui fuerit aptissimus legationibus pa. 66 ad f.
Quj nam error difficillimè eripiatur pa. 67 ad m.
Quibus sit aptum uti hac nostra ratione pa. 67 ad f. & 68 fere to.
Ex ignorantia dialecticæ manarunt omnia peccata disputandi to. pa. 69
Bonis rationibus reprehenditur consuetudo utrinque disputandi pa. 70 ad p.
Mariani Socini casus flebiliter, piè, ac eleganter deploratur pag. 70 ad f.
Illa eadem consuetudo ipsius authoritate refutatur pa. 71 in m.
Eadem eleganti similitudine reprehenditur pa. 71 ad f.
Ratio tamen quædam in disputando propria nostrorum Iurisc̃o sultorum declaratur pa. 72 ad f.
Illud uulgare dictum, quum de una communi disputamus, po

nendas esse alias communes; non esse à Bartolo profectum. pa. 73 ad f.
Bartolus in § nihil commune facit contra illam regulam pa. 74.
Cur philosophi, medici, Theologi regula illa non utuntur. pa. 75 ad p.
Summa totius orationis pa. 75 ad f.
Reuocatur in memoriã illa utilissima præceptio, quomodo uersandum in doctoribus. pa. 76 ad m.
Sententiam suam de doctoribus late explicat Taxaquetius pag. 76 ad f.
Bartolus hæbream linguam discere tentauit pa. 78 ad m.
Bartolus inducitur increpans huius ætatis iuuentutem pa. 78.
Bartolus Ser. Sulpitio comparatur pa. 79 ad m.
Ex quibus cognoscatur bonum ac excellens ingenium pag. 79. post m.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE




AL DVS